PERIODICA
DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

TOM. XLIX 1960 - FASC. II

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

II - Monumenta

DISSERTATIONES ET QUAESITA VARIA

DE MINISTRIS EXTRAORDINARIIS CONFIRMATIONIS IN AMERICA LATINA ET INSULIS PHILIPPINIS

Summus Pontifex IOANNES XXIII, die 8 aug. 1959, dignatus est prorogare ad aliud decennium privilegia, quae Americae Latinae et Insulis Philippinis PIUS XI, novo confecto schemate privilegiorum LEONIS XIII, anno 1929 ad decennium concessit, atque PIUS XII annis 1939 et 1949 ad successiva decennia prorogavit [1].

Sub n. 3 elenchi horum privilegiorum, Ordinariis locorum facultas conceditur deputandi simplices sacerdotes ad sacramentum Confirmationis administrandum. Insertio huius facultatis inter privilegia generalia Americae Latinae et Insularum Philippinarum facta est anno 1929 recteque considerari potest ut momentum finale longi et laboriosi processus, in quo manifeste ostenditur ex una parte quam sedule Sancta Sedes defenderit pro Ecclesia Latina principium, iuxta quod ministerium Confirmandi reservatur solis Episcopis, et ex alia parte quibus mediis usa sit Pia Mater Ecclesia ad necessitatibus occurrendum Americae Latinae et Insularum Philippinarum, ubi generatim insufficiens semper fuit numerus Episcoporum pro numero confirmandorum, attentis locorum distantia, carentia mediorum communicationis etc.

Hodie, omissis indultis particularibus quae forte habentur, sex numerantur capita ex quibus deputantur vel

---

1 AAS 51, 1959, 915-918. In sectione «Monumenta» huius fasciculi damus textum huius Decreti, nonnullis additis annotationibus, quibus praecipuae differentiae inter illud et praecedentia documenta breviter indicantur (Cf. infra pp. 241-250.)

deputari possunt simplices sacerdotes ad sacramentum Confirmationis administrandum in America Latina et Insulis Philippinis: 1) Codex I. C.; 2) Facultates Nuntiorum, Internuntiorum et Delegatorum Apostolicorum; 3) Facultates Ordinariorum in territoriis a S. C. de P. Fide dependentibus; 4) Facultates omnium Ordinariorum loci, sive a S. C. de P. Fide, sive a S. C. Consistoriali dependentium; 5) Decretum *Spiritus Sancti munera,* 14 sep. 1946; 6) Decretum *Post latum,* 17 dec. 1947. Praeterea legitime viget consuetudo praeter ius commune, iuxta quam confirmari possunt infantes ante aetatem discretionis, etiam statim post susceptum Baptismum.

In hac dissertatione intendimus processum investigare quo ad disciplinam nunc vigentem in America Latina et Insulis Philippinis perventum est, atque ambitum et conditiones exponere sub quibus ex unoquoque capite ex recensitis deputantur vel deputari possunt in illis regionibus ministri extraordinarii Confirmationis. Studium praeter illam utilitatem particularem pro Ordinariis et sacerdotibus Americae Latinae et Insularum Philippinarum — ad quos praesertim dirigitur —, aliam generalem afferre posse speramus, ostendendi scilicet in casu concreto quot incommoda habeat semperque habuerit in praxi, ius commune Ecclesiae Latinae circa administrationem sacramenti Confirmationis. Iure posset quis sibi proponere quaestionem utrum possibile sit alias normas iuridicas stabilire, quibus et haec diuturna incommoda vitentur, et disciplina communis et uniformis pro tota Ecclesia Latina inducatur, suppressis semel pro semper indultis quibus regitur in hac materia pars valde magna Ecclesiae Latinae, nempe America Latina, Insulae Philippinae, et omnia territoria a S. C. de P. Fide dependentia, ut omittamus alia non pauca indulta particularia determinatis personis, locis piis etc. concessa.

Commoditatis causa, sub termino generali *America Latina* comprehendimus in tota dissertatione etiam et Insulas Philippinas, nisi ex contextu aliud appareat.

1. Ministri Extraordinarii Confirmationis in America Latina usque ad promulgationem Codicis I. C.

Ut synopsis completa habeatur, praemittimus aliquas brevissimas indicationes circa praxim Ecclesiae quoad ministrum Confirmationis usque ad annum 1492, quo inventa est America.

Primis saeculis Ecclesiae sacramentum Confirmationis solebat administrari simul cum sacramento Baptismi. Ordinarie ambo sacramenta conferebat Episcopus. Multiplicatis vero coetibus fidelium extra sedes episcopales, necesse fuit concedere simplicibus sacerdotibus facultatem conferendi Baptismum, ne baptizandi hoc sacramento necessario ad salutem diu privarentur. Tunc duplex possibilitas patebat ad sacramentum Confirmationis quod spectat: vel concedere presbyteris etiam facultatem confirmandi, vel separare administrationem Confirmationis a collatione Baptismi, reservando Episcopo ministerium confirmandi [2].

In Ecclesiis Orientalibus in genere praevaluit disciplina non separandi administrationem Confirmationis a collatione Baptismi, sed concedendi presbyteris facultatem confirmandi statim post collatum Baptismum. Huiusmodi disciplina semper servata est ac nostris diebus pergit vigere in omnibus fere ecclesiis Orientalibus [3].

In Ecclesiis vero Occidentalibus praevaluit disciplina separandi administrationem Confirmationis a collatione Baptismi, reservando Episcopis ministerium confirmandi. Hoc vero non factum est nisi paulatim et valde laboriose, praesertim quoad reservationem absolutam huius ministerii in manus Episcoporum etiam pro casu necessitatis.

Ad finem saec. VI adhuc vigebat in *Sardinia* consuetudo, iuxta quam presbyteri confirmare poterant. Sanctus Gregorius Magnus voluit talem consuetudinem abolere,

---

2 Cfr. Mostaza, A., *El problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación*, Salamanca 1952, pp. 10-12.

3 Cfr. Herman, E., *Confirmation dans l'Eglise Orientale*, in DDC, 4, 121-128.

sed quia hac de re aliqui scandalizati ac contristati sunt, concedit (mense maio 590), ut «*ubi episcopi desunt*» presbyteri confirmare possint [4]. In *Gallia* in saeculis V et VI tribuitur presbyteris ministerium confirmandi [5]. Saeculo IX adhuc videtur perdurare praxis ut presbyteri confirment in periculo mortis, si episcopus desit [6]. Ad *Germaniam* quod attinet, concilia Ratisbonense (a. 769) et Wormatiense (a. 868) indicant tunc temporis presbyteros esse qui sibi arrogarent facultatem confirmandi [7]. Immo in dioecesi Wiceburgensi adhuc in saeculis XIV et XV erant presbyteri qui in periculo mortis Confirmationem administrabant, ut deducitur ex repetitis prohibitionibus synodalibus [8]. In *Hispania* presbyteri confirmare poterant saltem ab initio saeculi IV [9]. Huiusmodi praxis viguit probabiliter saltem usque ad finem saeculi XI, cum Gregorius VII (1073-1085) Liturgiam Romanam induxit in Hispaniam [10].

A saeculo VIII ad saeculum XII, praxis reservandi Episcopis ministerium confirmandi plenam victoriam in toto Occidenti obtinet. Ab hoc saeculo, disciplina uniformis viget in tota Ecclesia Latina — si forte aliquem locum excipias in quo perdurat consuetudo ut in periculo mortis constitutos presbyteri confirmare possint —, iuxta quam soli Episcopi sacramentum Confirmationis administrant. Rarissime durante medio oevo concesserunt Romani Pontifices simplicibus sacerdotibus facultatem confirmandi. Immo et theologi non pauci fuerunt, qui negarent Romanum Pontificem talem facultatem concedere posse. Constat tamen usque ad annum 1492, quo inventa est America, facultatem confirmandi aliquibus presbyteris concessisse INNOCENTIUM IV (1243-1254), NICOLAUM IV (1288-1292),

---

4 MIGNE, PL 77, 696; cfr. MOSTAZA, o. c., pp. 17-20.
5 MOSTAZA, o. c., pp. 39-42.
6 MOSTAZA, o. c., pp. 69-70.
7 MOSTAZA, o. c., p. 57.
8 MOSTAZA, o. c., p. 71.
9 MOSTAZA, o. c., pp. 24-39.
10 MOSTAZA, o. c., p. 69.

Ioannem XXII (1316-1334), Urbanum V (1362-1370), Eugenium IV (1431-1447), Nicolaum V (1447-1455)[11].

Ut videtur, primus Romanus Pontifex qui concessit facultatem confirmandi simplicibus sacerdotibus in terris Americae fuit Leo X per Breve *Alias felicis recordationis*, 25 apr. 1521, quo aliquibus Patribus Franciscanis in Americam proficiscentibus huiusmodi facultatem tribuit[12].

Probabiliter, modo implicito, renovat eamdem facultatem Adrianus VI, die 10 maii 1522, per Breve *Exposce nobis*[13].

Similem facultatem dicuntur concessisse aliquibus Missionariis Americae Latinae Pius V (1566-1572) et Gregorius XIII (1572-1585)[14]. De hoc tamen non certo constat. Quidquid sit, certo post Concilium Tridentinum, criterium valde rigorosum circa concessionem facultatis confirmandi praevaluit. Nec exceptio, saltem alicuius momenti, facta est in favorem Americae Latinae[15].

---

11 Mostaza, o. c., p. 175; Zerba, C., *Commentarius in Decretum « Spiritus Sancti munera »*, Roma 1947, p. 23.

12 Wadding, L., *Annales Minorum*, t. 16, Roma 1736, pp. 115-117; cfr. Mostaza, o. c., pp. 175-176.

13 Wadding, L., *Annales Minorum*, t. 16, pp. 135-137; cfr. Mostaza, o. c., pp. 119-120.

14 Cfr. Mostaza, o. c., p. 335; Zerba, o. c., p. 23. In *Thesaurus Resolutionum S. C. Concilii*, 2, Urbini 1739, p. 188, habetur haec indirecta attestatio: « De Gregorio XIII testantur Auctores fuisse ab eo in Provincia Brasiliae concessam facultatem, ut ob defectum Episcopi Sacerdos Saecularis posset Sacramentum Confirmationis administrare ».

15 Colligo hoc testimonium ex *Thesaurus Resolutionum S. C. Concilii*, 2, p. 188: « ... nec defuerunt alii Pontifices pari potestate praediti, qui hac nostra aetate ob penuriam Episcoporum eamdem facultatem paucissimis quibusdam Viris Apostolicis, spectatis PP. Soc. Iesu concesserunt, ut Religiosissimus P. Ludovicus Fonseca mihi oretenus retulit praesentibus quoque aliis Ginnasii Graecorum in Urbe alumnis, qui cum ex Brasilica ora solvisset, ac Romam ad Generalem Conventum anno Domini 1593 venisset munere Procuratoris illius Provinciae functus est. Aiebat porro ac pro certo affirmabat se solitum esse in illis partibus hoc sacramentum administrare, ibique huius auctoritatis concessae asservari Diploma Pontificis ».

Die 28 ian. 1656 (vel 25 ian. 1668), Sacra C. Concilii censuit, « huiusmodi facultatem *non esse concedendam* simplicibus Sacerdotibus sive Saecularibus, sive Regularibus in Insulis Philippinis, non obstante, quod ob Dioecesis amplitudinem et Populorum frequentiam, extra Civitates in vastissimis agris viventium, quamplures non confirmati decederent »[16].

Die 13 iun. 1722 iterum reaffirmatur eadem positio negativa S. C. Concilii circa huiusmodi concessionem[17].

Eadem die, S. Congregatio respondit petitioni factae a Patribus S. I., Provinciae Cilensis, qui « a S.mmo D. N. supplicarunt pro facultate administrandi Sacramentum Confirmationis christianis ibi commorantibus, qui ut plurimum sine dicto sacramento moriuntur; ab ea etenim plurimum distant episcopi, et integro unius saeculi spatio unum tantum fertur Episcopum accessisse, appellatum Monterum, qui non sine evidenti vitae discrimine iter illud assumpsit, atque perfecit »[18]. Responsio S. Congregationis videtur indicare aliquam dubitationem coram petitione adeo urgenti: *Scribatur episcopis iuxta instructionem*[19]. Tamen, ut testatur Pallotini, « non apparet tales litteras fuisse scriptas episcopis »[20]. Petitio igitur non habuit favorabilem exitum.

Hanc eamdem solutionem adoptavit S. Congregatio in sessione diei 4 iun. eiusdem anni 1722, circa petitionem factam a Missionariis S. I. « in Insula quae appellatur California »: — *Scribatur Nuntio iuxta instructionem.* Haec vero instructio secundum Pallotini « potissimum in eo versata fuit an multi christiani morarentur in ea insula, an soli Patres Societatis Iesu, vel alii etiam, aut

---

16 Pallotini, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. C. Concilii,* t. 16, p. 30, n. 23: Indiarum Occidentalium, 28 ian. 1656. In *Thesaurus Res. S. C. Concilii* haec responsio habet datum 25 ian. 1668 (t. 2, p. 189). Ipse Pallotini in pag. 31 affert idem datum, anni scilicet 1668.

17 Pallotini, o. c., p. 31, n. 27.

18 *Thesaurus resol. S. C. Concilii,* 2, p. 187.

19 *Ibid.*, p. 189.

20 Pallotini, o. c., p. 31, n. 29.

Saeculares aut Regulares Presbyteri officio Missionarii ibidem fungerentur, ac denique an sperari posset, quod aliquis Episcopus ad eam se conferret »[21]. Res tamen in hoc puncto stetit. Nec alter causae progressus — concludit PALLOTINI —, reperitur in Congregatione die 24 ian. 1733 habita.

In hac Congregatione discussa est petitio Episcopi dioecesis Conceptionis, in regno Cilensi. Episcopus gratiam petebat tantummodo pro provincia Chiloe, quae variis insulis constat. « Haec remotissima provincia — exponit orator — distat a Sede episcopali fere trecentis leucis itineris, per terram impenetrabilis et Barbarorum insidiis undequaque expositi. Per mare navigatione periculosissima et horrenda ire necessum est. Quare numquam licet Episcopis visitationem huius provinciae personaliter arripere, imo nec visitatorem mittere, quando oportet, sed tantum quando licet. [...] Hac insuperabili difficultate supposita, Animas illius Provinciae Sacramento Confirmationis carere necesse est, et de facto carent »[22]. Orator proponebat solutionem concretam et quidem valde modestam: « Si Vestrae Beatitudini de remedio providere placeret, poterit ad facultates Episcopis Indiarum regulariter a Sta. Sede concessas, pro Episcopo Conceptionis de Chiloe, facultatem addere nominandi et delegandi Ministrum Sacramenti Confirmationis, pro tota illa provincia de Chiloe et praesidio Valdiviae illi vicino, Patrem Rectorem (pro tempore) Collegii Societatis Iesu Civitatis de Castro, Capitalis illius Provinciae, qui, oleo ab Episcopo consecrato, omnes Christifideles ibi degentes confirmare valeat »[23]. Sacra Congregatio proposito dubio an sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu, respondit: — *Dilata, et scribatur Nuntio Apostolico iuxta instructionem*[24]. Nuntius autem rescripsit vera esse quae Episcopus

21 *Ibid.*
22 PALLOTINI, o. c., pp. 31-32, n. 30.
23 PALLOTINI, o. c., p. 32, n. 30.
24 *Ibid.*

exposuerat, nec possibile esse ibi Auxiliarem Episcopum constituere, « cum proventus Mensae Episcopalis adeo tenues essent ut vix sufficerent ad ipsius Antistitis sustentationem. Quam ob rem providendum existimabat, ne christianae legis cultores, qui ibi vivebant, huius Sacramenti praesidio carerent » [25]. Non obstante hac favorabili responsione Nuntii, Sacra Congregatio die 3 apr. 1734, reproposito sibi dubio sub eadem formula, non audet responsionem affirmativam dare, sed rem ad Em.mum Praefectum remisit [26]. Nec res ulterius progressa est, quantum scimus.

Nec quisquam mirabitur de huiusmodi solutionibus Sacrae Congregationis Concilii pro terris Americae, si prae oculis habuerit criterium quod tunc temporis praevalebat in Congregatione et rationes quibus nitebantur eius Em.mi Patres ad positionem rigorosam defendendam. In sessione diei 3 mar. 1775, sex e septem Cardinalibus proposito dubio generali an expediret post Concilium Tridentinum Papam concedere facultatem confirmandi Abbati Regulari, steterunt pro sententia negativa, « eo ducti motivo — ait PALLOTINI — ne detur occasio Haereticis se confirmandi in errore quod hoc Sacramentum possit conferri a Sacerdote simplici ». *Et hoc ita resolutum fuit* — subiungit PALLOTINI — *post maturam materiae discussionem* [27].

Non obstante hac positione rigorosa Sacrae C. Concilii, frequentiores in dies sunt ex parte Sanctae Sedis concessiones facultatis confirmandi simplicibus sacerdotibus factae in favorem regiorum Episcopis carentium, praesertim in terris Missionum [28]. Sed partim suppressione Societatis Iesu (a. 1773) quae tam magnum influxum habebat tunc temporis in Ecclesia Americae Latinae, partim vero propter revolutiones quae in illis regionibus ad independentiam politicam obtinendam subsecutae sunt,

---

25 *Ibid.*

26 *Ibid.*

27 PALLOTINI, o. c., p. 30, n. 22.

28 Cfr. MOSTAZA, o. c., pp. 337-339.

problema de ministris extraordinariis Confirmationis in America Latina in oblivionem mandatum est durante fere toto saeculo XIX.

Die 9 maii 1888, Sacra C. Universalis Inquisitionis, ut satisfaceret petitioni aliquorum Episcoporum, hanc dedit solutionem: « Supplicandum SSmo. pro facultate subdelegandi unum vel alterum presbyterum, concedenda per Sacram Congr. Negotiis Extraordinariis praepositam non solum episcopis petentibus, sed etiam aliis, qui in similibus circumstantiis reperiantur, durante eorum munere »[29]. Ut patet, in hoc decreto non conceditur facultas « subdelegandi » unum vel alterum presbyterum ut confirmationem administret, sed concedenda dicitur per Sacram C. de Negotiis Extraordinariis. Neque omnibus Episcopis Americae Latinae indiscriminatim concedenda dicitur, sed tantum illis qui in circumstantiis similibus specialis necessitatis reperiantur.

Ut videtur, effectus immediati huius decreti non fuerunt magni momenti practici. Die enim 4 mar. 1903, iterum S. C. Sancti Officii sibi proposuit discutiendam petitionem Episcopi Conceptionis de Chile, qui, cum ipse non possit administrare Sacramentum Confirmationis omnibus Christifidelibus suae dioecesis in qua decies centena millia hominum numerantur, orat Summum Pontificem « ut sibi concedat facultatem benevisum Sacerdotem delegandi, qui intra limites suae dioecesis dictum Sacramentum conferre valeat ». Em.mi Patres respondendum mandarunt, « *Iuxta decretum 9 maii 1888, quod ita se habet* » (et inseritur decretum supra a nobis

29 *Collectanea S. C. de P. Fide*, 2, n. 2161; ASS 36, 115; GASPARRI, *Fontes*, 4, n. 1263, p. 539. Hoc decretum reproducitur ad litteram in responsione ad Episcopum Conceptionis, 4 mar. 1903, a S. C. Universalis Inquisitionis data, de qua infra. Decretum vero anni 1888 non inveni neque in ASS, neque in *Collectanea S. C. de P. Fide*, neque in *Fontes* Cardinalis GASPARRI, neque in *Acta Leonis XIII*, in locis relativis ad annum 1888. Nescimus utrum tunc temporis fuerit publici iuris factum, necne.

transcriptum)[30]. Quam solutionem die sequenti, 5 mar. 1903, Summus Pontifex Leo XIII, approbare dignatus est.

Ex his clare demonstratur tempore Leonis XIII nullam adhuc existere concessionem generalem in favorem Episcoporum Americae Latinae ut possent deputare simplicem presbyterum ad sacramentum Confirmationis administrandum. De facto in Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* die 18 apr. 1897 datis, quibus Leo XIII facultates et gratias omnes illis territoriis concessas collegit, atque ad trentennium prorogavit, nihil dicitur de facultate deputandi ministros extraordinarios Confirmationis[31]. Non recte igitur asseritur a nonullis auctoribus recentioribus Leonem XIII per Litt. Apost. *Trans Oceanum* concessisse Ordinariis Americae Latinae huiusmodi facultatem. Neque in alio elencho facultatum iisdem Ordinariis ad decennium concessarum ab ipso Leone XIII anno 1900, mentio fit ulla facultatis deputandi simplicem presbyterum ut ministrum extraordinarium Confirmationis[32]. Concessiones ergo Leonis XIII in favorem Americae Latinae, si quae factae sunt, fuerunt concessiones particulares, iuxta normas in decreto supra transcripto indicatas. Nulla vero fuit concessio generalis in favorem omnium Ordinariorum Americae Latinae.

S. Pius X, die 1 ian. 1910, prorogavit ad aliud decennium privilegia a Leone XIII anno 1900 Americae Latinae concessa, atque ad Insulas Philippinas eadem extendit[33]. Eodem die ipse Sanctus Pontifex illa alia privilegia, quae Leo XIII per Litt. Apost. *Trans Oceanum* Americae Latinae concesserat, ad Insulas Philippinas extendit, « *ita tamen,* dicit Indultum, *ut quousque dicta privilegia pro America Latina perdurent, eodem tempore pro Insulis Philippinis vigeant, ut tum in America Latina*

30 *Collectanea S. C. de P. Fide,* 2, n. 2161; ASS 36, 115; Gasparri, *Fontes,* 4, n. 1263, p. 539.

31 *Acta Leonis XIII,* 17, 100-107.

32 AAS 2, 1910, 217-219.

33 AAS 2, 1910, 217-219.

tum in praefatis Insulis eadem sit privilegiorum duratio » [34]. Vi horum indultorum gaudent Insulae Philippinae privilegiis Americae Latinae a LEONE XIII concessis. Sed in eis nulla nova gratia conceditur. Quaestio ergo de ministris extraordinariis Confirmationis nihil mutata est. Si quis ergo Ordinarius Americae Latinae et Insularum Philippinarum habet facultatem depuntandi huiusmodi ministros, hanc habet vi indulti particularis, cum indultum generale nullum exsistat [35].

Quantum potuimus scire, res ita perdurarunt usque ad annum 1929. Privilegia Americae Latinae a S. PIO X ad decennium anno 1910 prorogata atque ad Insulas Philippinas extensa, non videntur fuisse amplius renovata anno 1920. In *Actis Apostolicae Sedis* nullum invenitur hac super re documentum, nec postea mentio ulla fit de his privilegiis. Privilegia vero per Litt. Apost. *Trans Oceanum* Americae Latinae a LEONE XIII ad trentennium concessa et a S. PIO X ad Insulas Philippinas anno 1910 extensa, suo robore destituta sunt anno 1927, cum trentennium inceperit decurrere anno 1897. PIUS XI illa renovanda exsistimavit. Cum vero ob mutatas temporum rerumque conditiones et Codicis Iuris Canonici promulgationem, nonnullae mutationes essent inducendae, novum schema privilegiorum confici iussit. Facultates ac gratias in hoc novo schemate contentas per Litteras Apostolicas *Litteris Apostolicis*, 30 apr. 1929, ad decennium concessit [36]. Sub num. 3) huius schematis concedi-

34 AAS 2, 1910, 220.

35 In Formula IV Sacrae C. de P. Fide, quae continebat facultates « pro Praefectis Missionum Asiae, Africae et *Americae*, et pro eorum sociis, ac Guardiano Hierosolymitano », expresse excludebatur facultas confirmandi. Sub n. 5 dicebatur: « Administrandi omnia sacramenta, etiam parochialia, ordine et *confirmatione exceptis...* » (Cfr. VERMEERSCH, *De formulis facultatum S. C. de P. Fide*, Brugis 1922, p. 28).

36 AAS 21, 1929, 554-557. PIUS XI nullam mentionem facit Insularum Philippinarum. Nullum dubium tamen suscitari potest circa concessionem etiam in favorem earum. Vide quae infra dicimus (p. 244) in *Annotationibus* Decreti S. C. Consistorialis, 8 aug. 1959.

tur Ordinariis locorum facultas deputandi presbyteros ad sacramentum Confirmationis administrandum. Haec fuit prima concessio generalis in favorem omnium Ordinariorum loci Americae Latinae et Insularum Philippinarum. Sed antequam illam exponamus, oportet videamus disciplinam inductam per Codicem I. C. circa ministros extraordinarios Confirmationis, atque etiam indulta quae concessa sunt ante annum 1929 quaeque saltem partim Americam Latinam spectant.

2. Ministri Extraordinarii Confirmationis in Iure Codicis.

Codex conservat disciplinam praecedentem circa ministros Confirmationis. Canon propositus a P. Wernz ut fidelibus in periculo mortis constitutis posset parochus hoc sacramentum administrare, non fuit acceptatus [37]. Tamen per canonem 782 §§ 2-3, inducitur innovatio haud parvi momenti. Agnoscitur enim praeter indultum peculiare, alius modus concedendi presbyteris facultatem confirmandi, nempe *ipsum ius commune,* atque nonnullis dignitatibus et officiis ipse Codex huiusmodi facultatem adnectit. Ante Codicem haec figura ministri extraordinarii Confirmationis non exsistebat. Ius commune nulli dignitati vel officio adnectebat facultatem confirmandi. Omnes presbyteri, qui hac facultate gaudebant, illam habebant vi indulti particularis, sive ipsis personaliter, sive alicui officio singulari plene determinato — v. gr. Guardiano Terrae Sanctae —, quo ipsi fungerentur, concessi.

Codex in c. 782 § 3, enumerat presbyteros quibus ipso iure competit facultas confirmandi. Huiusmodi sunt:

1) *Cardinales,* iuxta privilegium quod ipsis conceditur etiam in c. 239 § 1, n. 23.

---

[37] Zerba, C., *Commentarius in Decretum « Spiritus Sancti munera »*, pp. 33-34.

2) *Abbates vel praelati « nullius »*, habita ratione c. 319 § 2, iuxta quem Abbatiis vel Praelaturis « nullius » non applicantur normae Codicis, sed reguntur iure particulari, nisi tribus saltem paroeciis constent (cfr. etiam c. 323 § 2).

3) *Vicarii et Praefecti Apostolici* (cfr. etiam c. 294 § 2).

Iisdem facultatibus gaudent illi qui ad normam c. 309 totum regimen Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae assumere debent, deficiente (vel eorum iurisdictione impedita ad normam c. 429 § 1) Vicario aut Praefecto et successive Pro-vicario et Pro-praefecto etc. (c. 310 § 2).

Cardinales facultatem confirmandi exercere valide possunt ubique terrarum. Alii vero omnes supra enumerati, illa valide uti nequeunt nisi intra fines sui territorii (c. 782 § 3). Est facultas stricte territorialis. Extra proprium territorium, ne in proprios quidem subditos potest valide exerceri.

Re vera fatendum est Codicem valde parcum esse in concedenda facultate confirmandi simplicibus presbyteris. Illam concedit tantummodo illis sacerdotibus qui — ut rem uno verbo comprehendamus — Episcopis dioecesanis aequiparantur quoad regimen alicuius territorii, exceptis Cardinalibus. Praeterea nulli Ordinario, quamvis Episcopus sit, facultatem concedit deputandi presbyteros, ne in casu quidem necessitatis, ad sacramentum Confirmationis administrandum.

Haec disciplina non potest non videri rigorosa si cum disciplina Ecclesiae Rituum Orientalium comparatur. Iuxta hanc enim, quilibet presbyter potest valide sacramentum Confirmationis administrare. In Ecclesia Latina, e contra, in unoquoque territorio dioecesano vel aequiparato (Abbatia vel Praelatura « nullius », Vicariatu vel Praefectura Apostolica), administratio sacramenti Confirmationis uni tantum ministro reservatur. Ipse potest quidem permittere illis qui charactere episcopali sint insigniti, ut in proprio territorio confirment (c. 783

§ 2); non vero potest concedere ulli simplici presbytero, ne in casu quidem necessitatis, facultatem confirmandi.

Attento statu reali Ecclesiae, praesertim in multis regionibus Missionum et Americae Latinae, tria gravia damna ex hac disciplina consequuntur, ut cotidiana experientia testatur [38]. 1) Permulti fideles sive infantes sive adulti moriuntur non confirmati. 2) Sunt multi illi qui adolescunt et forte ad senectutem perveniunt sine confirmatione. 3) In multis locis, pueri quoad magnam partem non confirmantur, nisi postquam iam prima vice ad Sacram Eucharistiam accesserunt. Haec incommoda non semper tribuenda sunt negligentiae Pastorum vel fidelium, sed insufficienti numero ministrorum sacramenti Confirmationis [39]. In maxima enim parte dioecesium unus tantum commoratur Episcopus, nempe Ordinarius loci. Neque possibilitas ulla adest ut ab aliis Episcopis in hoc ministerio adiuvetur. Hic unicus Episcopus multis aliis laboribus occupatur cum debeat simul dioecesim regere. Saepe accidit ut per plures annos regat dioecesim Episcopus infirmae valetudinis et incapax hoc ministerium obeundi. Tunc practice nullus adest in dioecesi minister Confirmationis. Non raro accidit ut ex diversis adiunctis, v. gr. politicis, tempus sedis vacantis diu protrahatur. Durante hoc tempore, quantumvis longo, dioecesis caret per se ministro huius sacramenti. De facto in multis regionibus Episcopi non administrant Confirmationem, praesertim in paroeciis ruralibus, nisi tempore visitationis pastoralis (c. 785), singulis quinquenniis (c. 343). Sed sive ex nimio labore, sive ex infirma valetudie, sive quia sedes vacavit et novus Episcopus non statim incipit visitare dioecesim vel non eumdem ordinem sequitur ac Episcopus praecedens, sive etiam ex negligentia vel aliis de causis, certo saepe accidit ut aliquae paroeciae, rurales praesertim, per plures annos non visitentur ab Episcopo. Ex his adiunctis, quae non raro

---

[38] Cfr. *Decretum « Spiritus Sancti munera »*, AAS 38, 1946, 350.

[39] *Ibid.*

dantur ubique terrarum, praesertim vero in territoriis Missionum et in America Latina, clare patet saepe moraliter impossibile esse ministrum confirmationis invenire qui pueros tempestive confirmare possit.

Ratio vero cur Pia Mater Ecclesia hanc disciplinam generalem statuat, non obstantibus incommodis ex ea promanantibus, clare indicatur in Decreto *Spiritus Sancti munera*: « Definitae doctrinae est solum Episcopum esse *ordinarium* confirmationis ministrum [...], proindeque Apostolica Sedes iugiter sedulo studuit, ut huius sacramenti collatio Episcopo, tanquam ius et officium ipsi proprium, quantum fieri potuisset reservaretur »[40].

Cum vero, ut ex dictis patet, non semper et ubique possibile sit huiusmodi reservationem, sine magno animarum damno retinere, Sancta Sedes ope indultorum necessitatibus urgentioribus solita est occurrere: « Ast necessitate bonoque fidelium id flagitante — dicit idem Decretum — non semel Apostolica Sedes passim indulgere compulsa est, ut Episcopo, qui in certis rerum et personarum adiunctis haberi non posset, simplex sacerdos in aliqua ecclesiastica dignitate constitutus sufficeretur, tamquam administer *extraordinarius huius sacramenti* »[41].

Ante Codicis promulgationem, indulta concedi solita erant omnia particularia: Facultas confirmandi vel facultas deputandi presbyteros ut ministros extraordinarios confirmationis, concedebatur unicuique oratori in concreto: v. gr. determinato Episcopo pro sua dioecesi, Guardiano Terrae Sanctae, determinatis Missionariis. Post Codicem vero, alia methodus simplicior et efficacior adhibita est. Indulta conceduntur latiora, ita ut idem indultum valeat pro omnibus qui intra fines indulti in similibus inveniantur adiunctis. Ope horum indultorum provisum est necessitatibus specialibus Americae Latinae. De his nunc agendum est.

---

40 *Decretum « Spiritus Sancti munera »*, AAS 38, 1946, 350-351.

41 *Decretum « Spiritus Sancti munera »*, AAS 38, 1946, 351; cfr. ZERBA, C., *Commentarius in Decretum « Spiritus Sancti munera »*, pp. 20-21.

3. MINISTRI EXTRAORDINARII CONFIRMATIONIS EX DEPUTATIONE DELEGATORUM APOSTOLICORUM.

Commoditatis gratia, sub termino generali *Delegati Apostolici* includemus etiam Nuntios et Internuntios.

Primum Indultum Apostolicum post promulgationem Codicis concessum ad sacramentum Confirmationis quod attinet, invenitur in « *Index facultatum quas pro locis missionis suae Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis penes Civitates seu Nationes, post Codicis Iuris Canonici publicationem tribuere SS.mus Dominus Noster decrevit, ceteris abrogatis* ». Hic *Index* non est publicatus in *Actis Apostolicae Sedis*. Confectus est et coepit adhiberi anno 1919. Immediate ergo postquam Codex I.C. coepit vigere [42]. Sub num. 32 haec concedebatur facultas:

32. Deputandi simplices sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis pro administrando sacramento confirmationis in iis regionibus dumtaxat *in quibus Episcopi desunt*, servatis praescriptis can. 781, § 1, 782, § 4 et 784; idque ad tempus aliquod determinatum.

In novo *Indice*, qui nunc in usu est, haec facultas recolitur sub n. 35. Inducitur tamen mutatio magni momenti, quae directe ad nos spectat:

---

42 Cfr. HILLING, N., *Die neuen Fakultäten der Apostolischen Nunzien, Internunzien und Delegaten*, Archiv f. k. K., 102, 1922, 57. Indicem hunc facultatum in lucem dedit iam anno 1919 P. ANTONIUS ARREGUI, *Summarium Theologiae Moralis*, edit. 4, pp. 583-589. Non satis informatus apparet P. VERMEERSCH, *Facultatum quae, post Codicem, Legatis Apostolicis concedi consueverunt breve Commentarium*, Periodica, 12, 1924, (69), ubi videtur indicare elenchum primum publicatum esse anno 1920, in edit. 5, *Summarii Theologiae Moralis* P. ARREGUI. Hunc elenchum facultatum invenies in Apendice omnium editionum dicti Summarii Theol. Mor. P. ARREGUI, etiam in editionibus sive latinis sive hispanis cura M. ZALBA factis. Praeterea, in *Il Monitore Ecclesiastico*, 32, 1920, 137-146; *Archiv. f. k. K.*, 102, 1922, 57-67; STAFFA, D., *Le delegazioni Apostoliche*, Roma 1958, pp. 207-215; VERMEERSCH in commentario supra indicato, Periodica, 12, 1924, pp. (69)-(98), (125)-(159).

35. *Incolumi iure concesso Ordinariis locorum Americae Latinae Decreto S. C. Consistorialis « Conspicua privilegia » diei 26 martii 1949, n. 3 (A. A. S. XXXXI, pag. 189)* deputandi simplices sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis pro administrando sacramento Confirmationis, in iis regionibus dumtaxat *Americae Meridionalis, in quibus servari non potest ius commune ob extraordinaria rerum et personarum adiuncta,* servatis praescriptis can. 781 § 1, 782 § 4 et 784 *C. I. C.;* idque ad tempus aliquod determinatum.

Linea subduximus in duabus formulis verba quibus inter se differunt. Immutatio inducta manifesta est. Antea Delegati Apostolici ubique terrarum, deputare poterant simplices sacerdotes ut ministros extraordinarios Confirmationis. Unica conditio erat ut in illa regione (cuiuscumque plagae mundi) deessent Episcopi. Nunc vero facultas deputandi simplices sacerdotes ad sacramentum Confirmationis adiministrandum limitatur ad territoria *Americae Meridionalis.* Et intra haec territoria possunt deputare tantummodo in iis regionibus in quibus servari non potest ius commune ob extraordinaria rerum et personarum adiuncta. Expresse agnoscitur hanc facultatem Delegatorum Apostolicorum incolume relinquere ius concessum Ordinariis locorum Americae Latinae per Decretum S. C. Consistorialis « Conspicua privilegia », 26 mar. 1949, scilicet per decretum quo privilegia a Pio XI anno 1929 Americae Latinae concessa et a Pio XII ad decennium anno 1939 prorogata, ad aliud decennium prorogantur.

Putamus hac facultate non gaudere Delegatos Apostolicos Insularum Philippinarum, cum hae Insulae non ad Americam Meridionalem pertineant. Gaudent vero Delegati Apostolici Americae Centralis, cum terminus Americae Meridionalis saepe adhibeatur ut synonimus Americae Latinae, et prout contraponitur Americae Septentrionali.

Haec facultas non spectat nisi ad illos Delegatos Apostolicos qui sunt Episcopi, cum sub n. 2 animadversionum ad calcem *Indicis* appositarum recenseatur haec facultas inter illas quibus « uti poterunt ii tantum qui charactere episcopali sunt insigniti, nisi expresse secus di-

catur ». Huiusmodi magna limitatio non habetur in facultate deputandi ministros extraordinarios Confirmationis Ordinariis locorum Americae Latinae concessa. Hi possunt deputare etiamsi charactere episcopali non sint insigniti.

Ad *sacerdotes deputandos* quod attinet, non ponitur in formula Delegatorum Apostolicorum illa restrictio quae invenitur in formula pro Ordinariis Americae Latinae, scilicet ut sacerdotes deputandi sint « in quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constituti, vel munere vicarii foranei fungentes, numquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis ubi praedictum Sacramentum administrandum erit ». Clausula huius formulae « sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis », valde ampla et indefinita est, ita ut ad normam quamdam prudentiae dixeris reduci, sine significatione ulla iuridica. Maiore ergo libertate quam Ordinarii locorum Americae Latinae gaudent Delegati Apostolici quod spectat ad sacerdotes quos deputare possunt ut ministros extraordinarios Confirmationis.

Quoad *locum*, Delegati Apostolici possunt deputare simplices sacerdotes ad sacramentum Confirmationis administrandum, solummodo intra territorium « *suae missionis* ». In hoc territorio, iuxta formulam praecedentem poterant deputare « in iis regionibus dumtaxat in quibus Episcopi desunt ». Haec absentia Episcoporum debebat esse territorialis, ita ut non tantum in loco ubi administranda erat Confirmatio sed in regione deesset Episcopus, sive habitualiter sive actualiter. Non tamen requirebatur ut regio ad nullam dioecesim pertineret, sed sufficiebat ut propter distantiam vel alia incommoda, moraliter loquendo nullus ibi esset Episcopus [43]. Clausula in *Indice* recentiori adhibita « In iis regionibus dumtaxat... in quibus non potest servari ius commune ob extraordinaria rerum et personarum adiuncta », supponit absentiam moralem Episcoporum ex illa regione, sed magis indeter-

---

[43] VERMEERSCH, *Facultatum... breve Commentarium*, Periodica, 12, 1924, p. (132).

minata est quam clausula in Indice praecedenti adhibita. Iudicio Delegati Apostolici relinquitur determinandum quandonam non possit servari ius commune. Vi huius clausulae non potest Delegatus Apostolicus deputare sacerdotes ad ministrandum Confirmationis sacramentum in illis regionibus ubi Abbates vel Praelati «nullius», Vicarii et Praefecti Apostolici sint *ipso iure* ministri extraordinarii Confirmationis, et diligenter suo munere fungantur, iuxta c. 875. Tunc enim vere servatur ius commune, quamvis non sit Episcopus qui confirmet.

Quod attinet ad *durationem deputationis,* dicitur in formula: « idque ad tempus aliquod determinatum ». Possunt ergo Delegati Apostolici deputare simplices sacerdotes ministros extraordinarios Confirmationis sive ad singulos casus sive habitualiter ad aliquod tempus. Antea vetabantur ne ultra decennium deputationem extenderent, iuxta animadversionem sub n. 2 ad calcem Indicis appositam: « Caveat Pontificius Administer ne indulta quae ad tempus concedere potest, ultra quinquennium vel decennium protrahat ». Nunc vero non potest illam extendere ultra quinquennium. Dicitur enim sub n. 4 animadversionum: « Indulta, quae Pontificius Administer ad tempus largiri potest, ultra " quinquennium " ne concesserit ».

Ordinariis locorum Americae Latinae nulla limitatio quoad durationem deputationis imponitur. Possunt deputare sacerdotem ad tempus indefinitum.

In formula pro Delegatis Apostolicis, servanda memorantur praescripta cc. 781 § 1 (chrisma ab Episcopo benedictum adhibendum), 782 § 4 (ne presbyter latinus confirmet nisi fideles sui ritus), 784 (circa administrationem sacramenti Confirmationis extraneis territorii). Hoc conservatur etiam in ultima redactione. In aliis omnibus formulis, ut videbimus, non memorantur canones, sed praescribitur observantia *Instructionis* pro simplici sacerdote ex indulto Sanctae Sedis sacramentum Confirmationis administrante.

Post concessionem Ordinariis locorum facultatis de-

putandi ministros extraordinarios Confirmationis, re vera videtur raro posse dari in America Latina necessitatem recurrendi ad facultates Delegatorum Apostolicorum, cum satis ipsi Ordinarii possint per se providere.

Ab anno vero 1919, quo facultas haec Delegatis Apostolicis iam concessa est, ad annum 1929, quo primum eadem facultas tributa est Ordinariis locorum Americae Latinae, recursus ad Delegatos Apostolicos in illis amplissimis regionibus in quibus saepe prorsus deerant ministri huius sacramenti, erat necessarius nisi ageretur de territoriis a S. C. de P. Fide dependentibus, pro quibus aliter provideri poterat, ut nunc videbimus.

4. Ministri Extraordinarii Confirmationis ex deputatione Ordinariorum a S. C. de P. Fide dependentium.

Ut notum est, in America Latina et in Insulis Philippinis sunt adhuc non paucae circumscriptiones ecclesiasticae a Sacra C. de P. Fide dependentes. Earum novissima recensio videri potest in Lujo Schorer, *Data statistica circumscriptionum ecclesiasticarum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentium ad diem 30 iunii 1957* (Mödling prope Vindobonam 1959) pp. 16-17 et 21.

Haec territoria cumulative fruuntur privilegiis quae Sacra C. de P. Fide pro suis territoriis concedit, et privilegiis quae toti Americae Latinae et Insulis Philippinis elargitus est Pius XI anno 1929 atque Pius XII et Ioannes XXIII ad successiva decennia prorogarunt. Nunc agemus de facultatibus a S. C. de P. Fide concessis.

Post promulgationem Codicis, formulae facultatum quas S. C. de P. Fide pro suis territoriis iam a saec. XVII, additis successivis immutationibus, concedere solebat, in novam formam redactae sunt. Benedictus XV novum schema facultatum die 6 feb. 1919 dignatus est approbare. Facultates coeperunt vigere die 1 ian. 1920[44].

---

[44] Vermeersch, l. c., p. (70); Stanguetti, G., *Prassi della S. C. de P. Fide,* Roma 1943, p. 47.

Formulae facultatum erant tres, quae *Formula Prima, Secunda* et *Tertia* vocatae sunt. Secunda et Tertia erant vel *Maior* (pro Episcopis) vel *Minor* (pro Ordinariis non Episcopis). Unaquaeque ex eis diversum ambitum facultatum continebat. Territoria omnia dependentia a S. C. de P. Fide in tres sectiones distributa sunt, attentis distantia a Roma et specialibus difficultatibus cuiusque loci. Omnes Ordinarii locorum comprehensi in unaquaque ex his tribus sectionibus, unam eamdemque ex tribus formulis facultatum accipiebant. America Centralis obtinebat Formulam Secundam, America vero Meridionalis et Insulae Philippinae, Formulam Tertiam [45]. Quod attinet autem ad facultatem deputandi simplices presbyteros ad sacramentum Confirmationis administrandum, nihil refert haec diversa applicatio formularum in territoriis totius Americae Latinae, cum Formula Secunda et Tertia eamdem facultatem deputandi contineant. Sub n. 2 harum duarum Formularum facultas conceditur Ordinariis locorum,

2. Concedendi facultatem administrandi Confirmationis Sacramentum uni vel alteri ex suis Sacerdotibus, in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen Episcopo, servato *Decreto Sacrae huius Cong. diei 4 maii anni 1774 atque* Instructione « De Sacramento Confirmationis » in Appendice Ritualis Romani inserta [46].

Anno 1941, tres formulae supra memoratae in unam tantum formulam reductae sunt, in omnibus territoriis a S. C. de P. Fide dependentibus indiscriminatim adhibendam. Servata tamen est distinctio inter *Formulam Maiorem* (pro Ordinariis Episcopis) et *Formulam Minorem* (pro Ordinariis non Episcopis). In his novis formulis, facultas deputandi ministros extraordinarios Confirmationis, substantialiter immutata conservatur:

---

45 VERMEERSCH, l. c., p. (71).

46 VERMEERSCH, l. c., p. (113); IGLESIAS, A., *Brevis Commentarius in facultates quas S. C. de P. Fide dare solet Missionariis*, Roma 1924, pp. 31-32; STANGUETTI, G., o. c., p. 51.

3. Concedendi facultatem administrandi Confirmationis sacramentum uni vel alteri ex suis sacerdotibus (*i. e. omnino paucis et ita ut in eadem statione unus tantum sacerdos hanc facultatem habeat*), in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque Episcopo, servata Instructione « De Sacramento Confirmationis » in Appendice Ritualis Romani inserta [47].

Differentiae inter formulam anni 1920 et hanc anni 1941, clare apparent in verbis quae in utraque formula linea subduximus. Ex prima formula supressa est citatio Decreti anni 1774, utpote inutilis, cum idem documentum sit ac Instructio de Sacramento Confirmationis in Appendice Ritualis Romani inserta [48]. In postrema vero formula addita est parenthesis declarativa, ut dubium tolleretur an verba *uni vel alteri ex suis sacerdotibus* essent intelligenda ita ut in unaquaque *Missione* unus vel duo tantum sacerdotes possent deputari ad sacramentum Confirmationis administrandum [49]. Ceterum, praeter has mutationes accidentales, nulla alia immutatio in formula concessionis anno 1941 inducta est.

Eadem facultas conceditur in *Formula Minore*, sub n. 2. Ergo facultatem deputandi ministros extraordinarios Confirmationis habent omnes Ordinarii loci a S. C. de P. Fide dependentes, sive Episcopi sint sive charactere episcopali careant. Nec ulla ponitur limitatio quoad Vicarios Generales. Competit igitur omnibus qui in iure nomine Ordinarii loci intelliguntur: Episcopus residentialis, Abbas vel praelatus « nullius » eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis defficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine (c. 198). Huiusmodi sunt: *Capitulum cathedrale*

---

[47] Cfr. Stanguetti, o. c., p. 48; Paventi, X., *Breviarium Iuris Missionalis*, Romae 1952, p. 245; Staffa, D., *Le Delegazioni Apostoliche*, Roma 1959, p. 229; Vromant, *Facultates Apostolicae*, Bruxelles 1947, p. 27.

[48] Cfr. Vermeersch, l. c., p. (114).

[49] Stanguetti, o. c., p. 51.

(c. 431 § 1; 432); *Collegium consultorum dioecesanorum* (c. 427); *Vicarius capitularis* (432 § 1); *Vicarius Pro-capitularis* intra octo dies utiles a sede vacante, a consultoribus dioecesanis eligendus, in dioecesibus ubi non est capitulum cathedrale (cc. 427; 432 § 1); *Administrator Apostolicus* (cc. 312-318); *Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus* (c. 309 §§ 1-2); *Vir ecclesiasticus* qui forte succedit in regimine Pro-vicario aut Pro-praefecto (c. 309 § 3); *Senior* in vicariatu vel praefectura, si forte contingat ut nemo sive a titulari sive a pro-titulari uti administrator designatus fuerit iuxta can. 309 § 4 (cfr. c. 310). Addendus est *Superior Ecclesiasticus* Missionis sui iuris omnesque illi qui ei legitime succedunt in regimine Missionis [50], atque etiam *Vicarius Delegatus* ab Ordinariis Missionum electus, iuxta potestatem ipsis a S. C. de P. Fide concessam die 8 dec. 1919. Huic enim practice conceditur omnis iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, qua uti potest Vicarius Generalis in dioecesi iuxta normas Codicis [51]. Etiam Superioribus ecclesiasticis Missionis sui iuris concessa est facultas nominandi *Superiorem Delegatum* [52], cui igitur competit etiam facultas deputandi ministros extraordinarios confirmationis, ut omnibus supra recensitis.

In formula igitur S. C. de P. Fide facultatem habent deputandi simplices sacerdotes ad ministerium Confirmationis *Vicarii generales* et aequiparati, cum nulla ponatur limitatio ad verbum « *Ordinarii* », in concessione. In hoc multum differt facultas concessa a S. C. de P. Fide pro suis territoriis a facultate concessa Ordinariis Americae Latinae, prout formula fixa est in prorogatione decennali anni 1939, in qua, ut videbimus, expresse excluduntur a facultate deputandi ministros extraordinarios Confirmationis Vicarii Generales sine speciali Episcopi mandato.

Quoad *numerum* sacerdotum qui deputari possunt,

---

50 Cfr. PAVENTI, o. c., p. 85.
51 *Sylloge P. F.*, n. 76; PAVENTI, o. c., p. 87.
52 *Ibid.*

formula S. C. de P. Fide est multo magis explicita quam formulae pro Delegatis Apostolicis et pro Ordinariis Americae Latinae. In his enim nihil dicitur explicite de numero deputandorum. In formula vero S. C. de P. Fide dicitur *uni vel alteri ex suis sacerdotibus*. Et additur explicatio *i. e. omnino paucis et ita ut in eadem statione unus tantum sacerdos hanc facultatem habeat.* Facultas ergo deputandi non est limitanda ita ut unus vel duo tantum in unaquaque dioecesi vel Missione deputari possint. Possunt enim deputari plures, etsi omnino pauci, iuxta criterium quod indicatur, scilicet ut in eadem *statione* unus tantum sit minister extraordinarius Confirmationis, etsi forte plures sint in toto territorio Dioecesis vel Missionis.

Hoc criterium videtur applicandum etiam in interpretatione facultatis Delegatorum Apostolicorum et Ordinariorum Americae Latinae. Saltem illo possunt uti ut norma agendi secura, eo vel magis quod hoc criterium videtur esse quod in Decreto *Spiritus Sancti munera* adhibitum est in concessione facultatis confirmandi fideles in periculo mortis constitutos: nempe ut in unoquoque loco sit minister Confirmationis pro iis qui in periculo mortis versantur, sed unus tantum, non plures.

Quod spectat ad *qualitates sacerdotum,* quibus facultas concedenda est, nihil omnino dicitur in formula S. C. de P. Fide. Non exigit explicite ut sint « sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis », ut in formula pro Delegatis Apostolicis, neque ut sint in aliqua dignitate ecclesiastica constituti vel munere Vicarii foranei fungentes nunquam vero sacerdotes commorantes in loco ubi sacramentum administrandum erit, ut requiritur in formula pro Ordinariis Americae Latinae. Multo magis ampla est ergo facultas quae conceditur Ordinariis Missionariis quam facultas concessa Ordinariis non Missionariis Americae Latinae. Notandum tamen est has limitationes non afficere nisi liceitatem, non validitatem deputationis.

Ad *locum* quod attinet, in quo Ordinariis licet facultatem confirmandi concedere, formula S. C. de P. Fide

dicit: *in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque Episcopo.* In formula pro Delegatis Apostolicis dicitur solummodo: *in iis regionibus dumtaxat in quibus Episcopi desint.* De hac conditione nihil dicitur in formula pro Ordinariis Americae Latinae. Patet distantiam a residentia Ordinarii moraliter esse aestimandam, attenta scilicet « tum distantia superanda, tum difficultate accessus, tum valetudine aut aetate Ordinarii, tum frequentia aut multiplicitate itinerum quae Ordinario imponerentur ad convenientem huius Sacramenti administrationem » [53]. De absentia Episcopi supra diximus, in formula pro Delegatis Apostolicis.

« In his omnibus moraliter aestimandis — concludimus cum IGLESIAS — prae oculis habendum est, Ecclesiam noluisse constituere fideles harum regionum in deteriore, sed potius in meliore conditione quam apud alias regiones versantes in adiunctis ordinariis. Unde, in dubio inclinandum est sive in dandam sive in exercendam facultatem habitam » [54].

Haec facultas non potest subdelegari, cum in elencho non notetur asterisco, et iuxta normam sub n. 1 animadversionum ad calcem appositarum, illae tantum facultates sunt delegabiles quae hoc signo notantur.

In territoriis Americae Latinae a S. C. de P. Fide dependentibus, Ordinarii comulative habent facultates, quas haec Sacra Congregatio pro suis subditis concedit, et illas generales quas Romani Pontifices pro tota America Latina tribuere dignati sunt. Hinc est quod circa deputationem simplicium sacerdotum ad sacramentum Confirmationis administrandum, possint Ordinarii a S. C. de P. Fide dependentes accipere ex duabus formulis concessionis id quod magis favorabile sit. Generatim vero, ut vidimus, maiorem libertatem illis concedere videtur formula Sacrae C. de P. Fide quam formula generalis pro tota America Latina, de qua nunc dicemus.

---

53 VROMANT, *Facultates Apostolicae,* p. 30.

54 IGLESIAS, *Brevis Commentarius in facultates...,* pp. 33-34.

5. MINISTRI EXTRAORDINARII CONFIRMATIONIS EX DEPUTATIONE CUIUSLIBET ORDINARII LOCI.

Non obstante notabili mitigatione, quam novae formulae facultatum pro Delegatis Apostolicis totius mundi anno 1919, et pro Ordinariis a S. C. de P. Fide dependentibus anno 1920 inducunt in praxim traditionalem circa ministros extraordinarios Confirmationis, non potest non animadverti Sanctam Sedem etiam post Codicis promulgationem tutatam esse, quantum potuit, principium reservationis ministerii confirmandi ad solos ministros ordinarios, secundum criterium quod rigorosum forte videri potest.

Die 25 ian. 1924, Sacra C. de Sacramentis, iuxta petitionem Episcopi Namuricensis aliorumque Ordinariorum Europae, proposuit Plenario Conventui Em.orum Patrum sequens dubium:

An praxis deputandi sacerdotes episcopali charactere carentes ad Sacramentum Confirmationis administrandum, etiam in posterum servanda sit intra limites hactenus praefinitos, vel potius instantibus gravibus et urgentibus causis, extendenda sit ad alias regiones etiam in Europa in casibus particularibus [55].

Responsio fuit: *affirmative* ad I partem, *negative* ad II et ad mentem.

Mens vero Em.orum Patrum fuit,

quod nihil esset immutandum in disciplina Ecclesiae, quam hactenus servavit et vetuit immutari H. S. C., factis tantummodo nonnullis exceptionibus pro aliquibus regionibus in America Meridionali, ubi servari non potest ius commune ob extraordinaria rerum et personarum adiuncta. Equidem simplex sacerdos est minister extraordinarius Sacramenti Confirmationis per deputationem Sedis Apostolicae. Quodsi ex aliis regionibus exhibeantur huiusmodi petitiones, S. Congregatio suadet Episcopis oratoribus ut recurrant ad S. Sedem pro obtinendo Episcopo Auxiliari seu Coadiutore, vel opem petant, pro huiusmodi Sacramento administrando, ab Episcopis finitimarum dioecesium [56].

---

[55] AAS 27, 1935, 14.
[56] *Ibid.*

Ex hac responsione, clare deducitur quaenam fuerit mens Sanctae Sedis anno 1924 circa hoc problema. Nullo pacto opportunum iudicat immutationem ullam in disciplinam Ecclesiae inducere. Mavult ut Episcopi qui non possint ipsi per se vel per Episcopos finitimarum dioecesium ministerio confirmandi satisfacere, ad Sanctam Sedem recurrant pro obtinendo Episcopo Auxiliari seu Coadiutore. Admittitur nonnullas tantum exceptiones factas esse pro *aliquibus regionibus* in America Meridionali, ubi servari non potest ius commune ob extraordinaria rerum et personarum adiuncta. Ex verbis linea subductis indubie eruitur nullum fuisse antea privilegium generale pro tota America Latina, contra id, quod in petitione Episcoporum Europae, prout resumitur in Instructione videtur praesupponi [57].

Post quinque annos ab hoc responso, die 30 apr. 1929, PIUS XI, inter privilegia et facultates, quas ad decennium concedit pro tota America Latina, elargitur facultatem,

> 3. Item Ordinarii locorum [*secluso Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato*] deputare possunt, ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes; nunquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata nova Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Instructione* pro simplice sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione Sacramentum Confirmationis administrante [58].

Hic textus immutatus conservatur in successivis prorogationibus decennalibus, etiam in novissima anni 1959, excepta clausula « *secluso Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato* », addita anno 1939 [59], qua notabiliter restrictus est numerus Ordinariorum loci, qui

---

57 « Attamen aliquot adhinc annis pluries RR. locorum Ordinarii requisierunt an praefatae praxi derogare opportunum censeret [Sacra C. de Sacramentis] etiam ad Europae regiones nonnullas idem extendendo *privilegium Americae Meridionali concessum* sub similibus adiunctis » (Ibid. p. 14).

58 AAS 21. 1929, 555.

59 AAS 31, 1939, 224.

iuxta primam formulam facultate gaudebant deputandi sacerdotes ad Sacramentum Confirmationis administrandum. Loco « *sine sui Ordinarii* loci speciali mandato », in formula 1959 dicitur « *sine Episcopi* speciali mandato »[60].

Ex hac formula concessionis clare patet:

1) Facultas deputandi sacerdotes ad sacramentum Confirmationis administrandum competit omnibus Ordinariis locorum Americae Latinae et Insularum Philippinarum, quicumque hi sint, etiamsi charactere episcopali careant.

2) Non competit Vicariis Generalibus, nisi speciale Episcopi mandatum habeant.

3) Possunt deputare sacerdotes, sive ad actum sive etiam habitualiter, et quidem ad tempus indeterminatum (secus ac Delegati Apostolici, de quibus supra).

4) Nullae circumstantiae specialis gravitatis vel urgentiae designantur ut Ordinarii possint huiusmodi deputationem facere (secus ac in formalis pro Delegatis Apostolicis et pro Ordinariis a S. C. de P. Fide dependentibus). Hic omnia committuntur iudicio Ordinariorum.

5) Sacerdotes deputandi debent esse *quantum fieri potest* in aliqua dignitate ecclesiastica constituti, vel munere Vicarii foranei fungentes[61].

---

60 AAS 51, 1959, 916.

61 *Instructio pro simplici sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante* anni 1934, postquam de privilegio quorumdam regionum Americae Latinae a Sancta Sede concesso locuta est, prosequitur: « Hisce tamen casibus, admodum singularibus, semper fuit Ecclesiae mens et sedula cura, ut hic veluti suffectus ordinario confirmationis administer, quatenus fieri posset, in aliqua esset ecclesiastica dignitate constitutus, atque in propriae territorio dioecesis, ita ut v. gr. usu Pontificalium frueretur ceterisque honorificis gauderet privilegiis atque insignibus, quae competere solent Protonotariis Apostolicis. Huius praescriptionis ratio est materna Ecclesiae sollicitudo, qua iugiter cavet ne quid detrimenti capiat reverentia Sacramento debita et offensionis pia christianae plebis exspectatio Episcopi persona orbatae, atque ut confirmationis administratio, quatenus sinit

6) Numquam possunt deputari simplices sacerdotes commorantes in locis ubi sacramentum administrandum erit. Quae tamen limitatio non afficit nisi liceitatem, non validitatem deputationis. Si sacerdotes sunt in aliqua dignitate ecclesiastica constituti vel munere Vicarii foranei funguntur, possunt deputari etiamsi commorentur illis in locis in quibus sacramentum erit administrandum.

7) Sacerdos deputatus tenetur servare novam *Instructionem* pro simplici sacerdote ex delegatione Sedis Apostolicae sacramentum Confirmationis administrante. Haec nova Instructio est illa anni 1774 quae in Appendice Ritualis Romani inserebatur et in formulis pro Ordidinariis a S. C. de P. Fide dependentibus citatur, sed iussu Pii XI ad normam Codicis I. C. accomodata. Approbata est a Pio XI die 31 dec. 1928 [62], sed non est publici iuris facta nisi die festo Pentecoste anni 1934 [63].

In hac *Instructione* ample exponuntur normae quibus regi debet presbyter qui ex privilegio Sanctae Sedis sacramentum Confirmationis administrat. Tenetur in genere observare easdem normas ac Minister Ordinarius, quoad ritum essentialem sacramenti (cc. 780, 781; *Instructio*, nn. 1-3), subiectum Confirmationis (c. 786; *Inst.* n. 7), et aetatem (c. 788; *Inst.* n. 9), tempus (c. 790; *Inst.* n. 12) et locum (c. 791; *Inst.* n. 13), patrinos adhibendos (cc. 793-797; *Inst.* nn. 14-18), annotationem et probationem collatae Confirmationis (cc. 798-800; *Inst.* nn. 19-21).

Recolimus aliquas normas quae directe ad ministrum extraordinarium spectant, quaeque in dicta *Instructione* memorantur.

1) Presbyteri latini ritus cui, vi indulti facultas confirmandi competit, Confirmationem *valide* confert *solis fidelibus ritus latini,* nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit (c. 783 § 4; Inst. n. 4).

---

substituti ministri persona, conspicuo splendore ac praeclara sollemnitate fiat ». (AAS 27, 1935, 13).

62 AAS 27, 1935, 12.

63 AAS 27, 1935, 22.

Sed maxime notandum est hanc praescriptionem partim abrogatam iam esse vi decreti S. C. pro Ecclesia Orientali, die 1 maii 1948, quo conceditur,

« ut, quoties Latini ritus presbyteri, vi legitimi indulti, Confirmationis Sacramentum valide et licite administrare possunt fidelibus proprii ritus, idem — dummodo constet ipsum immediate post Baptismum, uti mos est, iam non fuisse conlatum — conferre valeant fidelibus quoque rituum Orientalium, quorum spiritualis cura ipsis commissa permaneat, ad normam Constitutionis Apostolicae *Orientalium Dignitas* diei 30 Novembris a. 1894, art. 9, quae statuit: « quicumque Orientalis extra patriarchale territorium commorans, sub administratione sit cleri latini » [64].

Vi clausulae *quorum spiritualis cura ipsis commissa permaneat* etc., excluduntur a beneficio huius Decreti illi fideles ritus Orientalis, quorum cura non sit commissa presbyteris ritus Latini. Criterium vero ad discernendum quinam fideles ritus Orientalis sint commissi curae presbyterorum latinorum, clare indicari videtur in ipso Decreto, tum verbis Constitutionis Apostolicae anni 1894, tum verbis ipsis huius Decreti, ubi exponitur eius finis, scilicet « ut bono spirituali fidelium rituum Orientalium, *extra proprium territorium sub iurisdictione Ordinarii loci degentium* consulatur. Hi fideles rituum Orientalium aequiparantur fidelibus ritus Latini. Ipsis ergo potest etiam applicari norma de extraneis, statim exponenda, si confirmantur a presbytero privilegio locali munito.

2) Presbytero licet, si *locali* privilegio sit munitus, in designato sibi territorio confirmare etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint (c. 784; *Inst.* n. 5).

Privilegia Apostolica possunt concedi vel in forma gratiosa, vel in forma commissoria sive necessaria sive voluntaria. Privilegium vi cuius presbyteri Americae Latinae possunt administrare sacramentum Confirmationis, concessum est in forma *commissoria voluntaria*. Norma de qua in c. 784 applicatur etiam ad hunc casum, ut patet ex eo quod in formula concessionis privilegii iubea-

[64] AAS 40, 1948, 422.

tur servare *Instructionem* pro simplici sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione sacramentum Confirmationis administrante, et in hac *Instructione* norma c. 784 inseratur. Sed patet magnam posse dari differentiam quoad praescriptionem huius canonis. Si enim agitur de presbytero qui apostolico locali privilegio in forma gratiosa vel in forma commissoria necessaria concesso sit munitus, proprius Ordinarius loci non potest prohibere ne extraneos confirmet. Nisi ipsi Ordinarii extraneorum expresse vetuerint — quae quidem prohibitio liceitatem tantum non vero validitatem administrationis Confirmationis afficere potest [65] —, talis presbyter in territorio sibi dessignato per se semper licite potest extraneos confirmare. Sed in casu de quo hic agimus, cum concedens presbytero facultatem confirmandi sit ipse Ordinarius loci, etsi hoc faciat vi facultatum specialium a Sancta Sede ipsi tributarum, potest ipse ponere limites quos velit in concedenda confirmandi facultate, qui non tantum liceitatem sed et validitatem administrationis huius sacramenti afficere possunt, si talis fuerit voluntas concedentis. Tenendum tamen est huiusmodi prohibitionem, si quando posita fuerit, afficere tantum liceitatem, nisi indubie constet Ordinarium facultatem confirmandi concessisse cum limitatione validitatem afficiente.

Ordinarii Americae Latinae privilegium confirmandi concedere possunt sive locale sive personale, i. e. relate ad determinatos fideles. Sed nisi aliud expresse caveatur, praesumendum est concessum esse non in favorem alicuius vel aliquorum determinatorum fidelium, sed in gratiam omnium fidelium qui confirmari velint in territorio ubi presbyter privilegiatus Confirmationem administrare potest.

3) Presbyter privilegio Apostolico confirmandi donatus, obligatione tenetur hoc sacramentum illis, quorum in favorem est concessa facultas, rite et rationabiliter petentibus conferendi (c. 785 §§ 1-2; Inst. n. 6). Ambitus et gradus huius obligationis in presbyteris deputatis ab

65 CAPPELLO, *De Sacramentis*, I, Romae 1953, 180.

Ordinariis Americae Latinae ad hoc sacramentum administrandum, ex ipsa deputatione, attentis omnibus adiunctis concretis, eruendi sunt. Per se eadem obligatione qua Episcopus tenetur hoc sacramentum suis subditis administrare, tenetur et presbyter illud administrare illis fidelibus in quorum favorem concessa est ipsi facultas confirmandi (c. 785 §§ 1-2).

4) Simplex sacerdos Confirmationis sacramentum administrans servare tenetur ritum specialem, iuxta *Rituale Romanum* a Pio XI ad normam Codicis I. C. accommodatum. *Instructio* textum integrum exhibet [66]. Sub respectu iuridico, attentionem meretur monitio quam sacerdos facere debet, initio ritus Confirmationis:

> « Sacerdos... superpelliceo et stola, vel etiam pluviali albi coloris indutus, stans ante altare, versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris), circumstantes admoneat, quod nullus alius, nisi Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est; se vero collaturum esse illam iure per S. Sedem delegato. Mox, si huiusmodi delegatio per indultum facta fuerit, delegationis decretum lingua vernacula legatur alta et intelligibili voce » [67].

Haec monitio invenitur iam in *Instructione* S. C. de P. Fide anni 1774 [68]. Patet non raro posse dari rationes quae excusent ab hac praescriptione observanda, v. gr. si apud eosdem fideles saepe idem minister extraordinarius confirmet et omnes plene sciant ipsum vi Apostolici Indulti confirmare, quo in casu monitio fine suo careret [69].

---

[66] AAS 27, 1935, 19-21.

[67] AAS 27, 1935, 19.

[68] Cfr. Gasparri, *Fontes*, VII, n. 4565, p. 97.

[69] Circa rationes quae excusare possunt ab hac monitione facienda, potest esse exemplo haec responsio S. Officii, diei 25 aug. 1880: « Cum in his regionibus — exponit orator — (Tchely Septentr. Occident. Orient., Mandhuriae, Mongoliae) sacerdotes delegati ad conferendum sacramentum Confirmationis, ordinarie nonnisi privatim infantibus et adultis moribundis hoc sacramentum conferant coram paucis et iisdem personis iam antea monitis, vel optime scientibus ministrum ordinarium Confirma-

6. Ministri Extraordinarii Confirmationis vi Decreti « Spiritus Sancti munera ».

Usque ad annum 1946 disciplina Codicis immutata conservata est. Pro territoriis ubi necessitates speciali urgentia premebant, provisum est per facultatem deputandi ministros extraordinarios, quae concessa est: *a*) Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis totius Orbis Catholici in prima formula post Codicis promulgationem, solum Americae Meridionalis in formula posteriori; *b*) Ordinariis locorum a S. C. de P. Fide dependentibus; *c*) Ordinariis locorum Americae Latinae et Insularum Philippinarum. Ut patet, pars valde magna totius Ecclesiae Latinae facultatibus praeter ius gaudet ad ministros Confirmationis quod attinet. In omnibus tamen his concessionibus facultatum praeter ius, servatur principium generale quod Ordinarii privilegiati facultatem confirmandi non possunt delegare omnibus indeterminate presbyteris ne ad casum quidem quo fideles in periculo mortis sint constituti. Delegati Apostolici, Ordinarii a S. C. de P. Fide dependentes, et Ordinarii Americae Latinae, possunt quidem deputare ad casum simplicem sacerdotem qui confirmet eum qui in periculo mortis versatur, sed non possunt deputationem generalem facere ut omnes presbyteri sui territorii gaudeant facultate confirmandi eos qui in periculo mortis inveniantur. Ceteri vero Ordinarii Ecclesiae Latinae, nempe omnes dependentes a S. C. Consistoriali (praeter eos Americae Latinae) ne ad

---

tionis esse Episcopum et hinc praedicta monitio in casu videatur suo fine praecipuo carere, cum ab altera parte satis molesta sit; petitur ut obligatio admonendi singulis vicibus imponatur solummodo quando sacerdos solemniter confert hoc sacramentum (quod est et erit omnino rarum); pro privata autem administratione sufficiat christianos aliquoties in commune debite instruere de ordinario et extraordinario Confirmationis ministro, legendo v. gr. testimonium scriptum delegationis una vice quolibet anno in singulis christianitatibus. — *R. Iuxta petita* » (S. C. S. Officii, 25 aug. 1880: *Collectanea S. C. de P. Fide,* n. 1539, II, 137b.).

casum quidem particularem possunt facultatem concedere simplici sacerdoti, etiam si fidelis in periculo mortis sit constitutus nec Episcopus adsit qui eum confirmare valeat.

Decretum *Spiritus Sancti munera,* 14 sept. 1946, aliquod remedium suppeditavit gravissimis incommodis, quae ex hac disciplina consequebantur: « Ut igitur prospiciatur — dicit Decretum postquam incommoda et horum causas ponderavit — etiam spirituali conditioni tot infantium, puerorumque atque adultorum fidelium, qui ob gravem morbum in vitae discrimen adducantur, et certo certius mortem oppetant, quin sacro chrismate linantur, si observantia iuris communis quoad ordinarium ministrum adamussim urgeatur; necessarium visum est huic S. Congregationi remedium aliquod exquirere ac suppeditare hac gravissima de causa, ut tam notabili fidelium numero offeratur occasio Confirmationis suscipiendae » [70].

Per hoc decretum constituuntur ministri extraordinarii Confirmationis sequentes dumtaxat presbyteri:

a) parochi proprio territorio gaudentes, exclusis igitur parochis personalibus vel familiaribus, nisi et ipsi proprio, licet comulativo, fruantur territorio;

b) vicarii, de quibus in canone 471, atque vicarii oeconomi;

c) sacerdotes, quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et officiis [71].

Non est hic locus discutiendi circa interpretationem harum normarum. Pro nostro scopo sufficiat colligere enumerationem eorum sacerdotum, qui sub his tribus enunciationibus generalibus comprehenduntur, iuxta communiorem doctrinam.

Facultate confirmandi gaudent: 1) *Parochi territoriales* de quibus c. 451 (cf. c. 216 § 1); 2) *Parochi personales mixti,* i. e. qui intra determinatum territorium

---

[70] AAS, 38, 1946, 351.
[71] AAS, 38, 1946, 352.

habent munus parochi in subditos, determinatos non sola ratione domicilii vel quasi domicilii, sed alio titulo v. gr. sermonis, ritus, nationalitatis etc. Inter hos speciali mentione digni sunt *Missionarii emigrantium,* ad normam Const. Apost. « Exsul Familia »[72]. 3) *Quasi-parochi,* de quibus c. 216 § 3; 4) *Vicarii habituales,* qui curam animarum exercent in paroecia pleno iure unita domui religiosae vel alii personae morali, ad normam c. 471 § 1; 5) *Vicarii oeconomi* de quibus c. 472. His aequiparandus videtur *parochus vicinior,* qui ad normam c. 472 n. 2 paroeciae vacantis regimen assumit ante oeconomi constitutionem. 6) *Vicarii vicariae perpetuae* constitutae iuxta c. 1427 ex territorio ab una paroecia dismembrato et in novam paroeciam non erecto. 7) Omnes alii sacerdotes quocumque nomine vocentur (curatus, vicarius, rector) quibus *a*) commissa sit cura animarum, *b*) in certo territorio et cum determinata ecclesia, *c*) iure exclusivo et stabili, *d*) cum omnibus iuribus et officiis parochorum.

Facultate confirmandi carent: 1) *Vicarii capitulares* (c. 432 § 1); 2) *Vicarii Generales* (c. 366); 3) *Vicarii substituti* de quibus c. 465 §§ 4, 5, et c. 1923 § 2; 4) *Vicarii adiutores,* de quibus c. 475; 5) *Vicarii cooperatores* de quibus in c. 476; 6) *Rectores Seminarii,* non obstante canone 1368; 7) *Superior domus religiosae* etiam exemptae, non obstante quod in multis aequiparatur parocho; 8) *Cappellani* seu Rectores cuiuslibet generis loci pii: Collegii, hospitalis, monasterii, carceris etc.; 9) *Cappellani militares,* nisi forte in aliquo loco conditiones adimpleant, quae sub *a*) Decreti exiguntur.

Facultas confirmandi quae presbyteris recensitis conceditur his limitibus coarctatur: *a*) Est facultas *indelegabilis* ita ut nullo in casu possit valide delegari. *b*) Valide exerceri non potest nisi erga fideles qui « *ex gravi morbo in vero mortis periculo sint constituti, ex quo decessuri praevideantur* ». *c*) Est facultas *territorialis*:

---

72 AAS 44, 1952, 700; cfr. CARETTA, A., *I Missionari degli emigranti nella Costituzione Apostolica « Exul familia »,* Roma 1957, pp. 55-56.

in proprio territorio (locis exemptis a propria iurisdictione non exceptis) potest exerceri erga omnes, etiam extraneos; extra proprium vero territorium, nequit valide exerceri ne erga proprios quidem subditos.

Pro nostro scopo specialem attentionem meretur sequens norma Decreti:

« 3. Hac facultate uti possunt tum in ipsa episcopali urbe tum extra ipsam, sive sedes plena sit sive vacans, dummodo Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur quominus Confirmationem per se ipse valeat conferre, nec alius praesto sit Episcopus Communionem habens cum Apostolica Sede, licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo ipsi suffici queat » [73].

Hae conditiones non afficiunt, iuxta communiorem sententiam, nisi liceitatem exercitii potestatis confirmandi, non obstante particula « dummodo », quae dubium suscitare potest.

In America Latina generatim dabitur impossibilitas habendi Episcopum, qui possit moribundum adire, etiam in ipsa sede episcopali, cum Episcopi residentiales multis ministeriis pastoralibus occupentur, nec Episcopi titulares existere soleant. Ante hoc Decretum praesertim Episcopi qui facultatem habebant deputandi simplices presbyteros ad Confirmationem administrandam, generatim non se putabant obligatos ad occurrendum singulis moribundis, ne in sede quidem episcopali. Hoc vero Decretum nullam novam eis imponit obligationem. Potius dicendum est illud minuere Episcopis obligationem, si quam aliquando habebant occurrendi singulis moribundis non confirmatis, cum nunc alii ministri Confirmationis pro graviter aegrotantibus existant, praeter ipsos Episcopos et sacerdotes quos forte ipsi deputaverint, iuxta facultates ipsis concessas.

In illis locis Americae Latinae ubi aliquis sit sacerdos in aliqua dignitate ecclesiastica constitutus habitualiter deputatus ab Ordinario loci ad sacramentum Confirmationis administrandum, posset suscitari quaestio utrum

[73] AAS, 38, 1946, 352.

parochi civitatis ubi talis sacerdos residet teneantur ad illum recurrere pro illis confirmandis qui in periculo mortis sunt constituti. Non teneri ad talem recursum ex ipso textu Decreti indubie patet. Nihil enim dicitur in eo de absentia simplicium sacerdotum facultate confirmandi gaudentium. Ad licitum usum facultatis confirmandi ex parte parochi sufficit absentia moralis cuiuslibet Episcopi. Non requiritur absentia cuiuslibet dignatarii ecclesiastici — quamvis sit ipse Ordinarius loci —, qui ipso iure vel indulto apostolico facultatem confirmandi habeat. Immo nec potest Ordinarius loci huiusmodi obligationem recurrendi ad dignatarium privilegiatum parochis imponere, cum hi facultatem habeant confirmandi illos qui in periculo mortis versantur, indulto apostolico acceptam.

Minister extraordinarius tenetur observare ritum in Rituali Romano praescriptum. Sed urgente necessitate formulam brevissimam adhibere potest [74]. Praeterea debet procurare quantum fieri potest, ut aegrotus confirmandus si usum rationis sit assecutus, habeat dispositiones necessarias: statum gratiae, intentionem, aliquam instructionem, ut fructuose sacramentum suscipere valeat (Decretum nn. 4, 5).

Post confirmationem collatam, minister extraordinarius annotationem peragere debet in libris paroecialibus confirmatorum (c. 798) et baptizatorum (c. 740 § 2) inscribendo nomen suum, nomina confirmati, parentum et

---

[74] Sanctum Officium, die 10 apr. 1958, sequens dedit responsum Episcopo Norvicensi (Norwich, U.S.A.): «Huic Supremae S. Congregationi propositum fuit ab Exc.a Tua Rev.ma sequens dubium: Utrum in casu verae necessitatis in Confirmatione administranda a simplici Sacerdote iis qui ex gravi morbo in mortis periculo constituti sunt, licite et valide adhiberi possit formula brevissima: *N., signo te signo Cru+cis* [quod dum dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis in fronte illius, deinde prosequitur] *et confirmo te chrismate salutis. In nomine Pa+tris et Fi+lii et Spiritus + Sancti.* Ad praecedens dubium Sanctum Officium respondet: *Affirmative.* (Publicatum est in *The Jurist*, 18, 1958, 361).

patrini, diem et locum, adiectis verbis: *Confirmatio collata est ex apostolico indulto, urgente mortis periculo ob gravem confirmati morbum.* Si confirmatus alienae paroeciae sit, proprium confirmati parochum quam primum certiorem reddere debet per authenticum documentum, quod omnes notitias supra indicatas complectatur (n. 6). Ministri extraordinarii tenentur praeterea singulis vicibus statim ad Ordinarium dioecesanum proprium authenticum nuntium mittere collatae a se Confirmationis, additis adiunctis omnibus in casu occurrentibus (n. 7).

Notandum bene est in America Latina his obligationibus non teneri illos ministros extraordinarios qui confirmant fideles in periculo mortis constitutos, vi deputationis sive habitualis sive ad casum acceptae ex Ordinario loci, iuxta privilegia Americae Latinae, cum Decretum *Spiritus Sancti munera* illos non respiciat. Huiusmodi ministri tenentur observare *Instructionem* a S. C. de Sacramentis anni 1935, quae, quod attinet ad annotationem, iubet tantummodo ut observentur canones 798, 799, nec quidquam dicit de nuntio authentico mittendo ad Ordinarium dioecesanum.

Decretum *Spiritus Sancti munera* obligationem imponebat Ordinariis locorum mittendi quolibet anno ad Sacram C. Sacramentorum relationem de numero confirmatorum, necnon de ratione a ministris extraordinariis sui territorii in tam praeclaro munere perfungendo adhibita (n. 9). Haec Sacra Congregatio per decretum diei 1 iul. 1957 talem obligationem sustulit [75].

7. Ministri Extraordinarii Confirmationis vi Decreti « Post latum ».

Manet indicandus ultimus fons ex quo simplices presbyteri in America Latina facultatem habere possunt sacramentum Confirmationis administrandi: Decretum scilicet *Post latum* a Sacra C. de P. Fide, die 17 dec. 1947,

---

[75] AAS 49, 1957, 943-944.

pro suis territoriis datum. Valet igitur pro illis territoriis Americae Latinae, quae a Sacra C. de P. Fide dependent.

In parte dispositiva Decreti dicitur:

« Omnibus itaque Ordinariis locorum ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentibus potestatem Sanctissimus fecit, absque praeiudicio ceterorum indultorum quibus in re iam fruuntur, ut Sedis Apostolicae indulto (can. 782 § 2), tribuere valeant omnibus sacerdotibus sibi subditis curamque animarum gerentibus, facultatem sacram Confirmationem fidelibus sive adultis sive infantibus, intra fines missionalis circumscriptionis exstantibus et in mortis periculo constitutis, valide ministrandi; necnon licite in ipso loco residentiae Episcopi, absente tamen quolibet Episcopo vel legitime impedito; servataque formula a Rituali Romano statuta [76].

Hoc decretum non praeiudicat ceteris indultis quibus in re Ordinarii iam fruantur, ut expresse dicitur. Manent igitur pro America Latina omnia indulta huc usque concessa ut fontes diversi et independentes facultatum deputandi ministros extraordinarios Confirmationis. Omnia haec indulta, iuxta limites uniuscuiusque, cumulative vigent in America Latina, nec alia aliis praeiudicant. Non obstantibus difficultatibus quae moveri possunt ex tenore huius decreti et argumentis a nonnullis auctoribus adductis, tenemus cum communi interpretatione auctorum, decretum *Spiritus Sancti munera* esse legem universalem, quae respicit non tantum territoria a Sacra C. Consistoriali dependentia, sed etiam illa quae Sacrae C. de P. Fide sunt subiecta [77]. In territoriis ergo missionalibus simul vigent et decretum *Spiritus Sancti munera* et decretum *Post latum*. Nec mirum, cum vi huius ultimi ampliores concedantur facultates, attenta maiore necessitate quae generatim adest in territoriis a S. C. de P. Fide dependentibus.

---

76 AAS, 40, 1948, 41.

77 Vide collectionem sententiarum circa naturam iuridicam decreti *Spiritus Sancti munera*, apud DZIADOSZ, H., *The Provisions of the Decree « Spiritus Sancti munera »*; Washington 1958, pp. 67-68.

Secus ac decretum *Spiritus Sancti munera,* quod concedit simplicibus sacerdotibus facultatem confirmandi in *forma gratiosa,* decretum *Post latum* illam concedit in *forma commissoria voluntaria,* i. e. dat potestatem Ordinariis locorum ut ipsi simplicibus sacerdotibus talem facultatem concedant. Sub hoc respectu, aequiparatur indultis quae continentur in formulis facultatum pro Delegatis Apostolicis, pro Ordinariis dependentibus a S. C. de P. Fide, et pro Ordinariis Americae Latinae, de quibus supra.

Quoad *sacerdotes deputandos,* duae ponuntur conditiones in decreto *Post latum* : 1) Ut sint subditi Ordinarii loci ; 2) ut curam animarum gerant. Subiectio sufficit illa quae oritur ex facto quod sacerdos curam animarum habeat in territorio. Cura animarum non requitur *plena,* nec aliae clausulae restrictivae ponuntur, secus ac in decreto *Spiritus Sancti munera.* Possunt ergo Ordinarii locorum concedere facultatem confirmandi etiam *Vicariis substitutis* de quibus c. 465 § 4, 5, et c. 1923 § 2, *Vicariis adiutoribus* (c. 475), atque etiam, ut videtur, *Vicariis cooperatoribus* (c. 476).

Vi huius decreti facultas confirmandi valide concedi et exerceri potest tantummodo erga fideles qui *ex gravi morbo in periculo mortis sint constituti.* In textu non ponitur conditio quod periculum mortis proveniat *ex gravi morbo.* In rubrica vero ponitur, atque etiam in decreto *Spiritus Sancti munera.* Tamen rationes hae non adeo probant, cum in hoc indulto ampliores facultates concedantur quam in decreto *Spiritus Sancti munera,* et ex rubro non argui possit ad nigrum si in nigro textus legis omnino clarus sit. Accedit quod in hoc casu rubrum desumptum est ex rubro decreti *Spiritus Sancti munera,* quod posset arguere minorem attentionem ad id quod in textu novi indulti continetur. Non ergo auderemus affirmare sacerdotem qui ab Ordinario facultatem habeat confirmandi vi huius indulti concessam, non posse administrare Confirmationem illis fidelibus qui non ex gravi

morbo, sed ex alia causa in gravi mortis periculo sint constituti.

Haec facultas est *territorialis*: Intra fines circumscriptionis missionalis potest exerceri erga omnes etiam extraneos; extra tales fines, nequit valide adhiberi ne in favorem quidem propriorum subditorum.

Sacerdotes qui huiusmodi facultatem ab Ordinario obtinuerint, possunt valide confirmare etiamsi praesens sit Episcopus qui confirmare posset. Licite vero etiam in loco residentiae Episcopi; sed tantum si abest Episcopus vel legitime sit impeditus.

Discrimen inter facultates quas Ordinarii habent vi huius indulti et illas quas habent vi facultatum decennalium, de quibus supra (pp. 168-175), clara patet: Vi facultatum decennalium possunt deputare unum vel alterum tantum sacerdotem, i. e. omnino paucos, ita ut in eadem statione unus tantum sacerdos facultatem confirmandi habeat. Non requitur ut hic sacerdos sit ex eis qui curam animarum habent. Praeterea non possunt confirmare licite in loco residentiae Episcopali, sed tantum in locis a sede episcopali dissitis. Vi autem indulti per decretum *Post latum* concessi, Ordinarii locorum possunt deputare omnes sacerdotes (et quidem collective sumptos) qui curam animarum gerant, sed tantum pro illis fidelibus qui in periculo mortis sint constituti. Hi sacerdotes deputati possunt licite confirmare etiam in loco residentiae episcopalis.

8. Normae conciliandae in usu facultatis deputandi Ministros Extraordinarios Confirmationis.

Difficultas haud parva latet in determinando criterio quo Ordinarii locorum Americae Latinae regi debeant ad iudicandum de opportunitate et convenientia — forsan et de obligatione — deputandi presbyteros, iuxta facultates ipsis concessas, ut ministros extraordinarios Confirmationis, dato complexu principiorum doctrinalium atque normarum disciplinarium iuris sive communis sive particularis, qui in hac re prae oculis habendus est. Indicabimus aliqua.

a) *Minister Ordinarius Confirmationis est solus Episcopus.*

Iuxta hoc principium, et attenta mente Sanctae Sedis, Ordinarius loci Americae Latinae qui sit charactere episcopali insignitus, debet per se ipsum, vel per alium Episcopum, in quantum fieri possit, hoc sacramentum administrare. Omnia adiuncta moraliter perpendenda sunt. Sed Episcopus ad hoc ministerium attendat oportet potius quam ad alia ministeria sacerdotalia, quae per alios sacerdotes forte potest obire. Quam aegre ferat Sancta Sedes recursum ad ministros extraordinarios Confirmationis, patet, praeter quam ex tota Historia huius problematis, ex *Instructione* S. C. de Sacramentis anni 1935, ubi dicitur concrete de America Latina: « non semel accidit ut in aliquibus omnino extraordinariis locorum et temporum adiunctis quarundam regionum Americae Latinae, in quibus ordinarii seu nativi ministri nempe Episcopi, copia forte non suppetit, gravi ideo et urgente exstante causa, Sancta Sedes quodammodo compellatur etiam ad simplicem Sacerdotem deputandum, tamquam Sacramenti confirmationis extraordinarium ministrum, ut illud scilicet ex apostolico indulto christifidelibus conferat » [78].

Non tamen recte ageret ille Ordinarius loci, qui adeo stricte hoc principium conservare conaretur, ut vix umquam deputationem confirmandi simplicibus sacerdotibus concederet, etiamsi ipse per se vel per alium Episcopum non satis providere posset opportunae administrationi huius sacramenti omnibus fidelibus sui territorii. Facultates enim praeter ius a Sancta Sede in bonum animarum concessae, adhiberi debent quoties bonum animarum exercitium talium facultatum exigit.

Maiore libertate quam Episcopi videntur gaudere in hac re illi Ordinarii Americae Latinae qui charactere episcopali carent, cum et ipsi sint ministri extraordinarii confirmationis. Facilius igitur videtur ipsos posse committere aliis presbyteris ministerium confirmandi, quoties per se non possint commode illud obire.

---

[78] AAS 27, 1935, 13.

b) *Ius commune et legitima consuetudo circa aetatem confirmandorum.*

In Ecclesia Orientali pueri confirmantur statim post receptum Baptismum, iuxta consuetudinem antiquissimam numquam interruptam. In Ecclesia Latina, etiam postquam introducta est praxis separandi administrationem horum sacramentorum et reservandi Episcopo administrationem Confirmationis, nulla determinata aetas exigebatur ad sacramentum confirmationis suscipiendum, usque ad exitum saec. XIII [79]. Infantes confirmabantur quam primum post Baptismum, in prima scilicet occasione quae se offerebat ad hoc sacramentum recipiendum. Minime requirebatur aetas discretionis. In fine autem saec. XIII coepit induci praxis in Italia, Gallia et Germania non confirmandi pueros ante annos discretionis. Prohibitiones tamen praxis contrariae non apparent nisi saec. XVI. Frequentia prohibitionum, praesertim in Italia, probat tunc temporis consuetudinem contrariam adhuc in usu esse [80].

In Hispania vero et in Lusitania legitime conservata est antiquissima consuetudo confirmandi infantes ante annos discretionis. Huiusmodi consuetudo introducta est ex Hispania et Lusitania in Americam Latinam et in Insulas Philippinas [81]. In omnibus istis territoriis legitime conservatur etiam post promulgationem Codicis Iuris Canonici, ut constat ex responsione S. C. de Sacramentis, die 27 feb. 1932:

> Quoniam vero in Hispania et alicubi, praesertim in America Meridionali, viget consuetudo administrandi Sacramentum Confirmationis pueris ante usum rationis, etiam immediate post collatum Baptismum, a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum, [...] quaesitum fuit an talis consuetudo adhuc conservari possit.

---

79 MOSTAZA, A., *La edad de los confirmandos,* Roma 1956, pp. 1-10: (In *Anthologica Annua,* 1956, pp. 341-350).
80 MOSTAZA, o. c., pp. 10-12: (In *Anthologica A.*, pp. 350-352).
81 MOSTAZA, o. c., pp. 16-27: (In *Anthologica A.*, pp. 356-367).

In plenario itaque Coetu Em.orum Patrum huius Sacrae Congregationis, habito die 27 Februarii 1932, re mature discussa, proposito sequenti dubio:

« An consuetudo antiquissima in Hispania et alicubi vigens ministrandi Sacramentum Confirmationis infantibus ante usum rationis, servari possit ».

Em.mi Patres responderunt: « *Affirmative,* et ad mentem » [82].

Potest ergo servari etiam post Codicem promulgatum antiquissima consuetudo in America Latina vigens confirmandi pueros ante usum rationis etiam immediate post collatum Baptismum. Attendenda tamen est mens Sacrae C. de Sacramentis:

Mens est ut, ubi Sacramentum Confirmationis administratio differri potest ad septimum circiter aetatis annum, quin obstent graves et iustae causae, ad normam can. 788, contrariam consuetudinem inducentes, fideles sedulo edocendi sunt de lege communi Ecclesiae Latinae, praemissa Sacrae Confirmationis administrationi illa catechesis instructione, quae tantum iuvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, prout experientia docet [83].

Inter « graves et iustae causae » quae obstant ne administratio Confirmationis differatur ad septimum circiter aetatis annum ad normam c. 788, censetur carentia ministrorum huius sacramenti. Et hoc quidem in locis ubi non viget legitima consuetudo administrandi Confirmationem ante aetatem discretionis. Futura enim absentia ministri, aliquantulum diuturna, ratio sufficiens habetur ut Confirmatio ante usum rationis infantibus administrari possit. In America Latina hoc a fortiori fieri potest, cum consuetudo antiquissima semper viguerit confirmandi pueros ante usum rationis, praescindendo ab abundantia vel carentia ministrorum huius sacramenti, ac praeterea ministri in numero sufficienti generatim non habeantur, ut probant repetita indulta, per quae facultates deputandi

---

82 AAS 24, 1932, 271.

83 *Ibid.*

ministros extraordinarios tam largiter Ordinariis locorum a Sancta Sede conceduntur. Nec videtur esse iuxta mentem S. C. de Sacramentis, si ex una parte non observaretur legitima consuetudo quae multum faciliorem reddit ministerium confirmandi ab ipso Episcopo in quantum fieri potest obeundum, et ex alia parte privilegia adeo conspicua a Sancta Sede obtineantur quoad facultatem deputandi ministros extraordinarios, eo quod adiuncta Americae Latinae omnino extraordinaria exhibeantur. Notetur praeterea in memorata responsione Sacram C. de Sacramentis attendere praesertim Hispaniam, ubi ratio conservandi legitimam consuetudinem administrandi Confirmationem infantibus ante usum rationis, non adeo urget quam in America Latina.

Attentis omnibus documentis Sanctae Sedis tum circa aetatem confirmandorum tum circa ministros Confirmationis, sine dubio affirmari potest Ecclesiam praeferre ut Confirmatio ab Episcopo administretur ante usum rationis confirmandi, potius quam differre administrationem huius sacramenti usque ad aetatem discretionis, si hac aetate non ab Episcopo sed a simplici presbytero privilegiato Confirmatio administranda erit. In casu igitur incompatibilitatis in observantia omnium normarum iuris communis, norma iuxta quam Confirmatio administranda est a ministro ordinario, praeferenda est normae secundum quam administratio huius sacramenti differenda est usque ad septimum circiter aetatis annum.

c) *Aetas Confirmationis et Primae Communionis.*

In Ecclesia tum Orientali tum Latina semper servata est praxis administrandi sacramentum Confirmationis ante quam puer Primam Communionem suscipiat. Saeculo XIX in aliquibus dioecesibus Europae coepit introduci praxis non confirmandi pueros nisi postquam ad Eucha-

ristiam prima vice iam accessissent [84]. Sed Sancta Sedes procuravit ut talis praxis quam primum suppprimeretur [85].

Ante S. PIUM X, observatio huius ordinis in susceptione Confirmationis et Primae Communionis non erat difficilis, cum « pro variis locorum usibus hominumque opinionibus — dicitur in Decreto *Quam singulari* — ad primam Eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quatuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab Eucharistica Communione pueris vel adolescentibus praescripta aetate minoribus » [86]. Posita hac aetate pro Prima Communione, nulla specialis difficultas erat in servando ordine sacramentorum ne in illis quidem regionibus, in quibus praevaluerat disciplina non administrandi Confirmationem ante annos discretionis. Satis commode poterat administrari Confirmatio ante Primam Communionem, cum aetas requisita pro unoquoque sacramento esset diversa. Sed S. PIUS X notabiliter abbreviavit aetatem requisitam ad Primam Communionem. Indicavit aetatem discretionis ad Sacram Communionem esse cum « puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra » [87]. Codex huiusmodi normam retinuit (cc. 854 § 3 et 859 § 1). Hinc difficultas: Ex una parte pro Confirmatione assignatur septimus circiter aetatis annus (c. 788) conservando disciplinam ultimis saeculis in fere omnes nationes Europae inductam; ex alia vero parte, iubetur ut pueri ad Primam Communionem accedant ubi ad aetatem discretionis pervenerint, nempe circa septimum aetatis annum vel potius antea cum ad hunc effectum quod attinet discretio sufficiens generatim censeatur haberi ante septimum annum. Accedit quod Sacram Eucha-

---

[84] MOSTAZA, *La edad de los confirmandos*, pp. 14-16 (In *Anthologica* A., pp. 354-356).

[85] S. C. Concilii, 19 nov. 1854: *Collectanea S. C. de P. Fide*, I, n. 1105, p. 588; LEO XIII, *Epist.* « *Abrogata* » *ad Episc. Massiliensem*, 22 iun. 1897: *Acta, vol.* 17, pp. 205-206; GASPARRI, *Fontes*, III, n. 634, pp. 515-516.

[86] AAS 2, 1910, 579.

[87] AAS 2, 1910, 582.

ristiam quilibet sacerdos potest distribuere, dum ministri sacramenti Confirmationis sunt ubique omnino pauci, generatim unus tantum pro toto territorio dioecesano.

Sed minime obstantibus his difficultatibus practicis, et quamvis non sit prohibendum ut pueri nondum confirmati sacramentum Eucharistiae recipiant si ad aetatem discretionis pervenerint, tamen quantum fieri potest, servandus est ordo in susceptione horum sacramentorum et quidem non tantum propter rationes pure disciplinares, sed etiam ob rationes doctrinales, ut patet ex declaratione quam S. C. de Sacramentis addit responsioni supra relatae circa legitimam consuetudinem confirmandi ante usum rationis in Hispania et America Latina:

Ne autem ex hac resolutione aliquis error irrepat aut non recta intelligentia de sacrorum canonum intentione et praecepto circa aetatem admittendi ad primam Communionem Eucharisticam, declarat eadem Sacra Congregatio, equidem opportunum esse et conformius naturae et effectibus sacramenti Confirmationis pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Confirmationis Sacramentum, quod est veluti complementum Baptismi et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti (S. Thomas, p. III, quaestio 72, art. 2); non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eamdem Mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis Confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt [88].

Si igitur prae oculis habetur praxis antiquissima ac numquam interrupta Ecclesiae Universalis circa ordinem quo sacramentum Confirmationis et Prima Communio Eucharistica suscipi consueverunt, et rationes quibus haec praxis defenditur perpenduntur, attento praeterea periculo ne pueri non postea confirmentur si ex aetate puerili egrediuntur non confirmati, concludendum est magis conforme esse cum mente Ecclesiae ut in America Latina, iuxta facultates Ordinariis locorum concessas, simplices sacerdotes deputentur ad sacramentum Confirmationis administrandum quoties in aliquo loco praesto non sit Episcopus qui pueros tempestive antequam prima vice ad Men-

---

[88] AAS 24, 1932, 271-272.

sam Eucharisticam accedant, confirmare possit. Ratio quam memorat S. C. de Sacramentis, scilicet quod conformius est naturae et effectibus sacramenti Confirmationis — quod est voluti Baptismi complementum — pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Confirmationis sacramentum, specialem attentionem meretur quoties dubitetur de liceitate, opportunitate vel necessitate deputandi ministros extraordinarios Confirmationis, iuxta facultates a Sancta Sede Ordinariis Americae Latinae concessas.

URBANUS NAVARRETE, S. I.

QUAESTIONES DE DELEGATIONE

I.

DELEGATIO GENERALIS UT SIC INVALIDA POTESTNE SUFFICERE AD ACTUM?

Salvator, parochus S. Martini, nullum habet vicarium cooperatorem. Cum coeperit senescere, rogat Ambrosium, vicarium cooperatorem paroeciae adiacentis, ut velit etiam aliqualiter auxilium praestare in paroecia S. Martini. Hic iuvenis, fortis et bona gaudens salute, insuper utens birota propria vi mota (vulgo: scooter, vespa), consentiente suo proprio parocho, libenter annuit Salvatoris precibus. Iam tertia a promissione data die Salvator telephonice certiorem reddit Ambrosium, quod die sequenti celebrandum est matrimonium. Hic respondet se esse venturum. Die celebrationis Ambrosius mane adit Salvatorem, qui gaudens eum salutat et deinde sic loquitur. « Haec est res facienda. Agitur de matrimonio inter Josephum et Clarinam. In hoc folio habes nomina et cognomina sponsorum; pone hoc folium in libro liturgico, ut in promptu habeas nomina pro interrogationibus faciendis. Inspicias folium, ut sic certus te posse legere omnia, nam scriptura mea non est ita clara. Bene? Faveas nunc adire sacristiam; omnia parata sunt ad functionem ». Dum Ambrosius sumat librum et folium in eum deponit, parochus subiungit: « Ne postea contingant errores oblivione vel negligentia, te delego ad omnia matrimonia celebranda in paroecia mea. Melius est praevenire minimum periculum matrimoniorum invalidorum ».

His auditis Ambrosius adit ecclesiam et assistit. Domi reversus, incipiens post prandium gaudere brevi quiete, ei in mentem venit, quod non est vicarius cooperator in paroecia S. Martini, et cruciari coepit dubiis de validitate matrimonii cui adstitit.

Solutio.

1. Nullo dubio obnoxium est Ambrosium, ipso iure seu vi canonis 1096 § 1, esse incapacem ad obtinendam delegationem *generalem* ad assistendum matrimoniis in paroecia S. Martini celebrandis. Delegatio generalis a Salvatore facta est invalide facta. Nam Ambrosius est utique vicarius cooperator, sed in alia paroecia, non in paroecia S. Martini. Et can. 1096 claris verbis statuit: « exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus *pro paroecia cui addicti sunt*: secus irrita est ».

Ex hoc praeprimis et immediate sequitur, quod si Ambrosius tempore futuro assisteret alicui matrimonio, quin alio novo actu acquireret potestatem assistendi ad hoc determinatum matrimonium, ipse assisteret absque potestate requisita ad validitatem, et matrimonium cui sic adstitisset esset invalidum, nisi alia de causa esset validum, puta, ob suppletionem potestatis, quia viget error communis de quo in can. 209.

2. Etiam certum est matrimonium cui adstitit Ambrosius non esse validum eo solo quod Ambrosius adstitit *in ecclesia publica* et proinde egit in errore communi. Hanc sententiam circa errorem communem in quo Ecclesia supplet propugnata est a S. Tumbas [1]. Sed quia haec sententia ab omnibus canonistis (excepto uno) expresse reiiciatur, tam ab iis qui admittunt sufficere sic dictus error de iure (seu in causa seu in potentia) quam ab iis qui tenent doctrinam ab antiquissimo tempore traditionalem, qua requiritur error *actu* existens [2], adhuc vigere, et

[1] Palestra del Clero, 1958, fasc. 10.

[2] Solummodo ille qui agit in errore communi *actu existente*, quod etiam vocatur error de facto, merito et sensu proprio verborum dici potest agere *in errore*. Id quod actu non existit, non existit reapse seu vere. Sane, hoc potest adhuc causari, imo forsitan necessario causari debet causis in futuro certo operantibus; sed nunc, antequam vere causatum est, id non existit.

Tumbas sententiam suam enuntiat quidem, sed nullatenus probet [3] ipsa non praebet fundamentum ad admittendam matrimonii validitatem.

3. Prout casus iacet dicendum est, quod matrimonium Josephi et Clarinae non est validum ratione suppletionis potestatis in errore communi. *Unus* singulus actus potestatis positus a sacerdote de quo nemo vel fere nemo potest aliqua ratione putare eum habere hanc potestatem, non causat errorem communem. Qui errant sunt illi pauci, qui in ecclesia praesentes functioni matrimoniali assistunt.

4. Manet tamen alia ratio movendi quaestionem de validitate matrimonii. Etenim, etsi praescriptum canonis 1096 impediat, ne Salvator Ambrosio valide concedat delegationem *generalem,* ius nullatenus impedit, ne ipse Ambrosio concedat delegationem *ad determinatum matrimonium.* E contra, huiusmodi delegatio eodem canone expresse permittitur. Clarum est quod eo solo quod ius permittit delegationem ad determinatum matrimonium, non sequitur Ambrosium habuisse potestatem assistendi ad actum. Sacerdos non gaudet potestatibus quas ius permittit ut alii ei delegatione concedant, sed tantummodo gaudet potestatibus quas alii, quibus ius hoc permittit, ei reapse delegaverunt. Quaestio igitur nunc solvenda est: habuitne forsitan Ambrosius potestatem delegatam assistendi ad hoc determinatum matrimonium, inter Josephum scilicet et Clarinam, seu ad matrimonium cui reapse adstitit? A. v. num actus, quo Salvator Ambrosius delegavit potestatem assistendi, fuit unus quidem actus materialiter sumptus, sed virtualiter adfuerunt duo actus, scilicet: delegatio generalis relate ad matrimonia

---

3 Tumbas nihil conatur facere nisi probare argumenta, quibus adversarii sententiam contrariam probant, non esse sufficientia et vere probantia. Hoc autem non est probare propriam sententiam. Insuper, conatus isti ita sunt, ut nullus serius canonista ipsis minimum tribuere potest valorem.

futura et non determinata, et delegatio ad hunc determinatum matrimonium, de quo hic et nunc inter hos duos sacerdotes agebatur; ad matrimonium quod uterque iam cognoscebat tamquam matrimonium concretum, indicatione nominum sponsorum designatum, et ad quod assistentia sua celebrandum Salvator voluit et intendit dare potestatem et dedit; Ambrosius voluit et intendit accipere potestatem et accepit?

5. Ut respondeatur praeprimis notandum est, quod delegatio generalis et delegatio ad hoc determinatum matrimonium non se invicem in una eademque persona excludunt. Possunt simul stare. Si e. g. parochus Bernardo, vicario suo cooperatori, concesserit potestatem assistendi ad determinatum matrimonium post mensem celebrandum, et post aliquos dies eidem Bernardo det potestatem generalem ad omnia matrimonia, prima delegatio non redditur infecta. Si Bernardus post duas hebdomadas translatione cesset esse vicarius cooperator in hac paroecia ipse amisit suam potestatem generalem a parocho ei delegatam [4], sed potestate delegata ad illud determinatum matrimonium semper gaudet. Ipse, quin indigeat alia delegatione, rediens in paroeciam quam translatione reliquit, valide assistere potest huic matrimonio determinato. Haec potestas, non revocata, non exstinguitur, nisi data sit aliqua speciali restrictione. Quare ratio, ob quam Ambrosius forsiitan carebat potestatem delegatam ad determinatum matrimonium, non potest esse *quia habebat delegationem generalem.* Hae duae non se excludunt.

6. Formaliter loquendo aliud est delegatio generalis, aliud delegatio ad determinatum matrimonium. Sicut formaliter loquendo alia est delegatio ad hoc matrimo-

---

[4] Elapso tempore pro quo saltem implicite est delegata. Vi praescripti can. 1096 delegatio generalis data vicario cooperatore necessario concessa est et intelligitur: usquè ad finem muneris vicarii cooperatoris in hac paroecia.

nium, aliud delegatio ad illud matrimonium. Attamen nihil impedit quominus duo actus formaliter distincti, in uno eodemque actu comprehendantur et proinde ponantur. Parochus uno solo actu potest aliquem sacerdotem delegare ad duo matrimonia determinata, dicens e.g. te delego ad matrimonia quae in libro meo adnotata sunt tamquam hac hebdomada celebranda. In hoc casu habentur duae delegationes formaliter loquendo, sed materialiter unus tantum ponitur actus. Ni fallor, eodem modo et ob eamdem rationem parochus uno actu sacerdoti concedere potest potestatem delegatam ad hoc determinatum matrimonium et potestatem generalem ad omnia matrimonia. Clarum est quod ut hoc fieri possit, requiritur ut revera habeatur matrimonium *iam determinatum*, ita ut momento delegationis parochus delegans sciat quale matrimonium concretum respicit sua delegatio, e.g. scit quod sua delegatio est ad matrimonium inter Iosephum et Clarinam.

In casu proposito matrimonium sic determinatum adfuit. Parochus Ambrosium delegavit praeprimis ut assisteret ad hoc matrimonium, inter Iosephum et Clarinam. De hoc matrimonio delegans cogitavit.

Deinde pro hoc matrimonio determinato et pro aliis matrimoniis adhuc indeterminatis sed forsitan celebrandis tempore futuro, parochus Ambrosio dedit potestatem, uno actu materialiter sumpto, sed virtualiter duplici.

Videtur concludendum matrimonium Iosephi et Clarinae esse validum; quia ad hoc Ambrosius obtinuit delegationem ad determinatum matrimonium ad normam can. 1096.

7. In casu Salvatoris et Ambrosii adhuc alia ratiocinatione ad eandem possumus tuto pervenire conclusionem. Si Salvator omnia peregisset quae reapse egit, sed exclusive usque ad ultimum suum actum, qui fuit delegatio generalis, et Ambrosius adiisset ecclesiam ad peragendam functionem absque hac delegatione generali, ipse certissime fuisset delegatus ad hoc determinatum matrimonium. Etsi parochus non usus sit verbo « te delego

ad hoc matrimonium », tamen expresse, quamvis implicite, Ambrosio dedit hanc delegationem. Implicite dico seu comprehensam in aliis actibus suis. Actibus scilicet quibus Ambrosio commisit hoc negotium, hanc assistentiam.

Porro, delegatio generalis subsecuta neque in se est, neque voluntate vel intentione parochi delegantis in casu fuit revocatio delegationis iam factae ad hoc matrimonium. Quapropter dicendum est, quod Salvator, qui vere commisit (nota bene: non *permisit,* tacite vel negative) Ambrosio, ut perageret hoc negotium (assistentiam ad hoc matrimonium), saltem implicite eidem dedit potestatem assistendi ad hoc determinatum matrimonium, et delegatione generali deinde data hanc potestatem datam non exstinxit. Quare etiam sic pervenimus ad conclusionem matrimonium cui Ambrosius adstitit esse validum.

8. Non autem necessarium videtur recurrere ad hanc ratiocinationem, quae tantum fieri potest in casu nostro et similibus. Etiam si parochus, agens de aliquo determinato matrimonio et in ordine ad hoc determinatum matrimonium, quod coram sacerdote delegando determinavit ad normam can. 1096, huic sacerdoti conferat potestatem generalem (quem tamen ei valide dare nequit ob can. 1096), actus delegandi videtur esse virtualiter duplex. Relate ad hoc determinatum matrimonium habetur delegatio ad determinatum matrimonium, quae proinde simplici sacerdoti concedi valide potest; relate ad alia matrimonia futura et adhuc determinanda habetur delegatio generalis, quae valide dari nequit sacerdoti, qui non est vicarius cooperator in hac paroecia.

9. Delegatio (subdelegatio) potestatis assistendi matrimoniis regitur iure valde complexo, ita ut multis modis errores comitti facile possunt [5]. Ut errores evitentur eo-

[5] Hanc doctrinam iam pluries clare et ni fallor complete, adductis exemplis practicis, elaboravi. Vide L. Bender. *Potestas ordinaria et delegata.* Romae, 1957, (Apud Desclée), Cap. X.

Idem in Periodica de re morali et canonica, 1954.

rumque consequentiis, pro parocho saepe molestis et pro coniugibus damnosis et dolorosis ob matrimonii invaliditatem ex defectu formae, non sufficienter commendari potest, ut parochi aliique ad quos spectat non tantum optime sciant hoc ius et curent ne haec scientia, in iuventute acquisita, oblivione amittantur, obfuscetur, vaga fiat, sed ut etiam in applicatione procedant cum maxima cautione et circumspectione. In minimo de validitate delegationis puta quia agatur de modo agendi non consueta, eligatur modus certus et tutus. In hac materia aurea regula est: evitare quodlibet periculum (risico). Et ad hoc etiam ordinatur consilium, ut delegationes fiant *in scriptis.*

II.

DELEGATIO FACTA SED NON NOTIFICATA

1. Severo, parocho, displicet vicariis suis conferre potestatem generalem assistendi matrimoniis in paroecia. Ipse morbosa quadam exaggeratione extollit suam dignitatem pastoralem. Hic status mentis non raro invenitur in personis, qui laborant defectu quod psichologi vocant complexum inferioritatis. Sentientes propriam infirmitatem (veram vel imaginariam), eam aliis abscondere se fatigant verbis et signis, quae apparenter manifestant fortitudinem. Ad manifestandam suam dignitatem et potestatem Severus renuit vicarios suos dare potestatem generalem. Sic eos cogit ut toties quoties ab eo petant potestatem assistendi et hoc facientes ponant actum quo agnoscant dignitatem parochi. Attamen, cum pastoralis dignitas non tollit effectus peccati originalis, iam semel inadvertentia parochi vicarius adstitit absque potestate delegata, ita ut parochus deinde debuerat matrimonium convalidare; res odiosa pro parocho ipso et pro sponsis.

Ut pro tempore futuro evitetur hoc malum, Severus, sedens in camera sua, in scriptis vicariis suis, Antonio et Romano, concedat potestatem generalem assistendi

matrimoniis, sed folium quo delegatio perfecit deponit in scrinium suum, nihil dicens vicariis. Deinde pergit facere quae hucusque fecit, pro forma, ut ait, qualibet vice, vicariis petentibus vel sponte, ipsis delegationem concedit, quem ipsi non considerare possunt nisi delegationem ad hoc determinatum matrimonium, de quo agitur. Post aliquos menses autem iterum committit idem errorem: omittit Antonio dare delegationem ad determinatum matrimonium. Antonius assistit matrimonio.

Cum autem Antonius nec postea errorem suum detegat, Severus tenet matrimonium esse validum ratione delegationis generalis a se secreto factae, et nihil facit aut dicit.

Paucis mensibus elapsis, Severo absente a paroecia per aliquo dies Antonius, quaerens aliquod documentum, detegit folium in quo parochus delegationem generalem concessit vicariis suis. Advocans Romanum ridens exclamat: ecce, nos obtinuimus delegationem generalem assistendi matrimoniis. Abhinc possumus assistere matrimoniis quin petamus delegationem toties quoties!

Quid dicendum?

2. Severus severe arguendus est. Quae fecit demonstrant, praeter morbosam inclinationem vindicandi propriam dignitatem, alios defectus, notatim defectum prudentiae et sagacitatis, et insuper ignorantiam iuris canonici.

3. Medium quod Severus adhibet, ut in tuto ponatur matrimoniorum validitas pro casu quo oblivione aliave de causa vicarii cooperatores assistunt, quin acceperint delegationem ad determinatum matrimonium, est prorsus inefficax. Etenim, delegatio potestatis est invalida et nullum habet effectum, nisi ipsa personae cui fit sit *nota* et ab ea *acceptata*, saltem implicite, puta usu potestatis, quam scit ipsi esse ab alio delegatam. Haec doctrina sequitur ex natura delegationis et vitae socialis et iuri-

dicae[1]. Insuper quoad delegationem potestatis assistendi matrimonio in specie, hoc authentice pluries declaratum est a S. C. Concilii[2]. Quare actu delegationis quem Severus occulte perfecit et occultum tenuit, nullam potestatem concessit vicariis eum ignorantibus.

4. Medium quod Severus adhibet est insuper periculis plenum. Si enim, prout Severus ipse putat, medium esset efficax ad finem intentum, matrimonium vi huius delegationis celebratum esset validum. Nihilominus in foro externo probari posset invalidum. Probari enim potest vicarium assistentem non habuisse potestatem requisitam. Et si hoc contingeret post Severi mortem, nemo posset contrarium probare et impedire sententiam nullitatis. Quod in casu hoc periculum deest, non tribuendum est modo agendi parochi, sed inefficacitati delegationis suae, quam ipse tamen ignorat.

5. Ad finem suum consequendum Severus elegit medium nocivum, quod tamen fuit minime necessarium. Ipse finem suum etiam attigisset, dando suis vicariis solam *potestatem* assistendi matrimoniis et excludendo *ius* assistendi, de quo agit can. 462 n. 4. Hic canon enim statuit, quod assistentia matrimoniis, in quantum est functio sacra, est actus parocho reservata. Haec reservatio respicit etiam vicarios cooperatores. Hac reservatione efficitur, ut nullus sacerdos, sive extraneus sive *vicarius cooperator,* licite possit assistere alicui matrimonio in paroecia celebrando; quoties hoc faciat iniuriam infert parocho. Ut huiusmodi sacerdos licite agat, requiritur licentia parochi.

---

1 L. Bender. *Potestas ordinaria et delegata.* Romae, 1957. Cap. XI. Item Vlaming-Bender. *Praelectiones iuris matrimonii.* Bussum (in Hollandia) p. 418. De hac re agit decisio rotalis, n. 68 (Vol. 33, ed. 1950) coram Wynen.

2 S. C. C., die 5 Dec. 1626. Ibi declaratur: « posita ignorantia licentiae matrimonium non esse validum ». Agitur de *potestate,* cuius delegatio in terminologia antiqua vocabatur delegatio *licentiae,* sicut in can. 1095 et 1096 adhuc fit.

Et hoc valet etiam de sacerdote vel de vicario cooperatore, qui gaudet potestate assistendi, de qua est sermo in cann. 1094-1096. Imo, relate ad hos sacerdotes reservatio est proprie utilis. Nam sacerdos, qui caret potestate assistendi, iam alio ex capite non potest licite assistere matrimonio. Quare, in delegatione generali data vicario cooperatore parochus non necessario et ipso facto concedit etiam licentiam assistendi seu peragendi functionem sacram. Et excludere seu non dare hanc licentiam sufficit ad retinendum pro se solo licentiam seu ius assistendi. In tali rerum statu vicarii paroeciales non possunt licite assistere matrimoniis, nisi toties quoties petant licentiam a parocho, et sic agnoscant parochi ius, auctoritatem et dignitatem. Deinde, etsi vicarii, generaliter delegati ad valide assistendum, possint alii sacerdoti hanc potestatem delegare ad determinatum matrimonium (can. 199 § 3), ipsi tamen nequeunt alii sacerdoti dare licentiam assistendi, cum ipsi eam non habent. Nemo enim dat, neque ex toto neque ex parte, id quod non habet.

Sic agens Severus exclusive retinuisset ius assistendi quoad liceitatem, et vicarii debuissent toties quoties recurrere ad eum, quin matrimoniis exposuisset nullitati casu quo vicarius in aliquo casu omisisset petere delegationem ad matrimonium determinatum.

6. Matrimonia quibus vicarii cooperatores adstiterunt postquam Severus « pro forma » ut ipse ait, concesserat delegationem ad matrimonium determinatum, videntur esse valida. Etenim « pro forma » in adiunctis videtur significare « per modum repetitionis ». Actus Severi videtur sic exprimi: « delego te ad hoc matrimonium, etsi sciam delegationem iam esse datam in generali ».

Ni fallor, huiusmodi status mentis non impedit, quominus habeatur delegatio, valida ex parte delegantis, sed

[3] In systemate iuris Codicis medium *proprium*, quod paroch praestat, ut sibi reservet ius assistendi est: aliis denegare licentiam de qua in can. 462, n. 4; non aliis denegare potestatem assistendi de qua in can. 1095-1096.

tantum, saltem in opinione agentis, inutilis, quia effectus iam est productus.

Consequentia est quod, si effectus casu non sit iam productus (si agens, iudicans actum esse superfluum, erret) actus delegationis vere producit suum effectum, scilicet potestatem delegatam ad actum in sacerdote cui fit. Attamen, quoties in aliquo casu omissa esset haec delegatio apparenter inefficax, vicarius assistens invalide assisteret. Nam delegatio generalis *delegato ignota* nihil efficit.

7. Deinde respondendum est ad quaestionem difficiliorem et magis complexam, scilicet utrum vicarii cooperatores, qui parocho inscio detegerunt folium, in quo parochus scripsit delegationem generalem ipsis factam, possint deinde valide assistere matrimoniis? A momento quo folium legerunt delegatio olim facta, etiam pervenit *ad notitiam* personarum delegatarum et est ab ipsis *acceptata*. Solummodo ipsa non est delegato notificata *ab ipso delegante*.

8. Quaestio reducitur ad hanc quaestionem iuris: utrum ut delegatio sit valide facta et exserat suum effectum, requiratur ut actus delegationis personae delegatae notificetur *ab ipso delegante* (per se vel per alium; per litteras aut per nuntium missum), an sufficiat ut illa quocumque modo, forsitan per accidens et praeter voluntatem et operam delegantis, ad delegati notitiam perveniat? Responsio dare non possum nisi cum aliquo formidine errandi.

9. In favorem sententiae qua tenetur sufficere notitia quomodocumque obtenta, afferri potest haec ratio. Habetur delegatio facta et etiam cognita et acceptata. Ergo habentur omnia quae requiruntur. Plus non requiritur neque natura rei neque iure positivo. Ergo potestas est vere et efficaciter delegata et obtenta.

10. Contra eandem sententiam autem quaedam alia militant. Natura sua delegatio potestatis est actus reciprocus, in quo duae personae, delegans et delegatus, cooperantur. Huiusmodi actus, sicut etiam contractus, non perficitur duabus operationibus separatis. Requiritur ut utriusque agentis actus sit alteri manifestatus. Actus qui tenetur occultus; actus quem ego perficio tamquam actum occultum seu alteri non manifestandum non potest esse pars constitutiva contractus. Et nec etiam pars constitiva delegationis. Et hoc nec quidem, si per accidens seu casu et praeter meam operationem humanam actus meus ad alterius notitiam venerit [4].

Quapropter natura delegationis exigit ut delegatio cura delegantis ad notitiam delegati perveniat; deferatur. Non sufficit notitia casu obtenta seu per aliquam causam, quae agit praeter et forsitan contra voluntatem delegantis.

11. Per modum confirmationis notandum insuper est quod huiusmodi delegationes, si essent validae, vitae sociali et iuridicae exponerent incertitudinibus et erroribus et hoc *per se*. Si e.g. Severus, durante sua absentia ab amico monitus de gravibus periculis huic delegandi modo adnexis, statim retractasset oraliter suam delegationem, merito reputans superfluum esse revocationem communicare vicariis suis, utpote insciis de delegatione olim facta, delegatio certe esset exstincta, et tamen vicarii qui invento folio acceptassent delegationem scriptis factam, putarent se gaudere potestate generali assistendi. Et parochus, qui post inventionem revocasset delegationem, putaret se emendasse errorem suum, et vicarios non amplius habere potestatem generalem, cum revera eam adhuc

[4] In casu in quo Ordinarius concedit aliquam potestatem, puta potestatem audiendi confessionem, ipse hanc delegationem manifestat sacerdoti delegato, sive immediate, sive mittens documentum vel communcans delegationem oraliter factam alii, puta Superiori religioso vel rectori sanctuarii cum intentione, ut ipsi de delegatione facta certiorem reddant delegatum. Hic habetur intimatio, notificatio ab Ordinario seu delegante facta.

habeant, cum potestas delegata non exstinguatur mera revocatione, sed ad normam can. 207 requiritur, ut revocatio sit *a delegante directe intimata delegato.*

Omnibus bene perpensis mihi videtur fere certum quod vicarii sola casuali lectura folii a parocho confecti non obtinuerunt potestatem generalem delegatam assistendi.

12. Graviter vituperandus est Severus, iam quia nimis colit vanitatem humanam et ob huismodi rationes futiles renuit vicariis dare potestates ipsis utiles. Sed praesertim arguendus est, quia in re tanti momenti ac est delegatio potestatis assistendi matrimoniis, usus est agendi modo ita extraordinario et a consueta praxi alieno.

Qui sic procedit, inevitabiliter se exponit periculo commitendi graves errores practicos et causandi matrimoniorum invaliditatem.

Dr. L. Bender. O.P.

DE CODIFICATIONE IURIS ARCHIVISTICI PER IUS NOVISSIMUM CODICIS IURIS CANONICI

SUMMARIUM: A. CONSIDERATIONES PRAEVIAE INDOLIS GENERALIS: I. Respectus erga leges atque consuetudines particulares a Codice iterum ac saepius inculcatur. II. A limine patet differentia inter archiva ecclesiastica publica ac secreta. III. Canones archivistici Codicis plurimi inveniuntur in globo (cc. 375-84) uniti, reliquis paucioribus extra eum vagantibus. B. MATERIA TRACTANDA IN TRES DIGESTA ASPECTUS PRAESENTATA. I. Archiva ecclesiastica ut media optima colligendorum documentorum chartarumque cuiusvis generis, ad Ecclesiam — sive Universalem sive quamcumque particularem — directe vel indirecte, spectantium. II. Archiva ecclesiastica ut media efficacia *conservandi* quaecumque sunt scriptim tradita ac digna, quae conserventur — pro scopo sive practico imprimis administrationis ac gubernationis, sive theoretico ac scientifico indaginum, indolis ante omnia historicae — per Codicis creatores fortiter ac prudenter legibus protecta. a) De legibus contra hostes physicos seu naturae irrationalis elementa latis; b) De legibus contra naturam humanam, qua damnosam, directis. III. Archiva ecclesiastica ut depositoria maximi valoris materiae, undequaque collectae, pro variis scopis *accessibilis reddendae*. a) De legibus relate ad archivorum accessibilitatem atque aperitionem moralem-spiritualem; b) De legibus relate ad archivorum accessibilitatem physico-materialem. C. CONCLUSIO COMPREHENSIVA FINALIS CONSIDERATO TRIPLICI SCOPO LEGUM ARCHIVISTICARUM CODICIS: *Iuris Novissimi* in re archivistica codificatio scientiae archivologiae recenti minime adversatur, immo eiusdem progressui novissimo est — non obstantibus lacunis relictis — prorsus aequa.

A. Considerationes praeviae indolis generalis:

I. *Respectus Ecclesiae erga leges atque consuetudines particulares a Codice iterum ac saepius inculcatur.*

Neminem facile latet *Ius Novissimum* circa materiam quoque versatum esse, quae pro Ecclesiae regimine ac pro salute animarum — suprema sane lege canonica — summi est momenti, scil. circa archiva ecclesiastica; de ea Ius praecedens silentium sollemne observaverat, omnia in re solutioni per ius particulare — sive legislationum sive consuetudinum — relinquendo. Creando quoque ius generale relate ad archiva ecclesiastica, statim obortum est problema, quomodo in casibus conflictus inter sphaeram particularem atque universalem sit procedendum. Observare licet novum Codicem incurrisse in consuetudines, omnino incompatibiles cum spiritu *Iuris Novissimi,* quae a limine ut *corruptelae* ss. canonum sentitae absque spe reditus ad novam vitam reprobatae sunt [1]. Sunt vero alii casus, in quibus Codex — non obstante vigente oppositione — modum vivendi cum consuetudinibus pristinis invenit, reliquendo decisionem auctoritati ecclesiasticae patriculari, scil. Episcopi dioecesani [2]. Haec de consuetudinibus *immemorialibus* valent. Reliquae quidem ut suppressae per ipsum Codicem habendae sunt; sed etiam hic solutio cum magno *grano salis* in favorem iuris particularis est

1 C. 5, prima eius p.
2 *Ibid,* secunda eius p.

mixtum, quatenus in casibus innumeris clasula salvatrix canonibus expresse adiecta apparet [3].

Qui codificatorum animus erga leges particulares — sive formaliter latas sive a consuetudine originem trahentes — reverens ac respectuosus in luce clarissimo apparet, si quaestio vertitur ad archiva in genere ac speciatim, in Ecclesia eiusve institutis exstantia.

Ceterum hic statim a limine notandum est materiam archivisticam, dum antiquus Codex dominabatur, iuri dumtaxat particulari reservatam fuisse. Unde facile intellegitur, quare in novo Codice — nullo antiquo exemplari praeiacente atque insuper recenti scientia archivistica minus evoluta ideoque parvum adhuc in re influxum exercente — legislatio relate ad archiva ecclesiastica plus minusve abstracta atque aliquatenus vaga manserit. Vigente eiusmodi indole indeterminata legum archivisticarum, novae leges, quae interim secundum utilitatem vel necessitatem in materia archivorum se paulatin evolvunt, sine difficultate in lacunas legum vagarum intercalari poterunt. Ut aliis verbis idem exprimatur, problema hoc modo sumatur : Si leges latae essent nimis minutae ac descendentes usque ad res singulas seu concretas, omnem sanam evolutonem archivisticam sive localem sive regionalem sive nationalem impedivissent. Sic libera cooperatio humana in materia archivistica, in continuo adhuc fluxu constituta, impediretur vel saltem minueretur. Quod sane exiguae esset prudentiae.

---

[3] *Ibid,* tertia eius p.

Modo potius contrario egerunt *Iuris Novissimi* codificatores. Quippe qui leges ferre sciverunt, archivorum ecclesiasticorum liberae evolutioni atque expansioni progrediente scientia archivistica qua tali faventes, leges, adeo generales in re, Codici inserere valuerunt, ut vel in regionibus maxime disparatis cum conditionibus culturae omnino diversae applicabiles essent. Eiusmodi leges nulli homini — cuiusvis sit status culturae vel civilisationis — praeiudicium molestum creare posse facile liquet.

Qua legislatione admissa ac supposita. archiva ecclesiastica in terris *primitivis* conditiones potius patriarchales praeseferre statim patet; item illico constat in regionibus, progressui humano magis apertis, archiva quoque Ecclesiae statum plus minusve elevatum, conformem conditionibus, ibidem vigentibus, manifestare.

Omnibus variis adiunctis temporis ac regionis canones archivistici, flexibiles, moderati ac sapientes, semper congrue ac prudenter applicari valent, hic modo simpliciore, ibi modo magis intricato, dato casu concreto praevalente.

II. *A limine patet differentia inter archiva ecclesiastica publica ac secreta.*

Archiva Ecclesiae, societati publicae, perfectae, universali necessaria atque indispensabilia sunt duplicis generis : Alterum est magis publicum, quod continet omnia ea, quae *foro externo* sunt obvia atque in et coram eo tractata. Quare est serio in-

daganti atque illud perquirenti illico apertum seu aperiendum — excepto, uti patet, casu boni communis id prohibente. Alterum est secretum et quidem sensu duplici: primo, sicut quodvis gubernium sectionem secretam, personis muneris publici dumtaxat perviam, auctoritas quoque ecclesiastica talem possideat oportet; secundo, quatenus Ecclesiae exclusive competit ob eiusdem competentiam in imperium intimum ac profundum conscientiarum; ad eam sectionem spectat potestas *fori interni,* quam Ecclesia in conscientias suorum subditorum regendas habet, cuique cura cum cautione particulari est reservata. Ad rem ulteriora inferius explicabuntur.

III. *Canones archivistici Codicis plurimi inveniuntur in globo (cc. 375-84) uniti, reliquis paucioribus extra eum vagantibus.*

Digna est attentione differentia inter canones archivisticos in globo *ad instar codicilli* in Codice exstante (cc. 375-84) et alios, in Codice dispersos atque *ad instar extravagantium* ibi apparentes. De prioribus uberior occurret sermo in sequentibus expositionibus partis primariae. Qui ultimi semper logice aliquo modo — vicine vel remote — subordinantur globo *codicilli canonistici* (cc. 375-84).

Memorandi sunt inter extravagantes canones, i. e. extra globum stantes, sequentes: Cc. 470, spec. eiusdem § 4, haud parum custodiae documentorum ac liberorum paeroecialium et praeprimis baptizatorum serviens. Brevis c. 1107 versatur circa secretum *matrimoniorum conscientiae* per ar-

chivum dioecesanum servandum, item sane magni momenti archivistici. Cc. 1521, 1522, (nota de inventario ibi esse sermonem!), 1523 (de cura *boni patrisfamilias* Iuris Romani, non de qualicumque diligentia est hic verbum), 1532 (statuendo limites inter inter ius S. Sedis et Ordinarium secundum diversum valorem materialem-pecuniarium obiectorum Ecclesiae propriorum). Maximi sunt valoris pro custodia obiectorum archivisticorum Ecclesiae bini canones poenales libro quinto Codicis deprompti, scil. cc. 2405-06 (severas poenas transgressoribus minitantes).

Impressio, his omnibus perpensis, creata est, ac si illustres Codicis compilatores, antequam opus saeculare codificationis ad finem gloriosum perduxerint, adhuc unum alterumve canonem archivisticum globo addere maluerint [4].

---

[4] Lacunam aliquam sentisse videtur quoque J. Roncalli (Joannes XXIII f. r.) in sua allocutione, ad Conventum Archivistarum Ecclesiasticorum Italiae a. 1957 die 6 m. nov. directa (in « La Chiesa e gli Archivi » — *Archiva Ecclesiae,* (Città del Vaticano, 1858 —, I, 1958, 55), in qua brevem fere omnium globi memorati ss. canonum elenchum cum uniuscuiusque argumento ad facilem legentium vel audientium personarum notitiam praebuit. Non vero satisfactus, ultra globum procedens aliquos reliquos cc. quaesivit, invenit et addidit. Auctor huius tractatus, item sentiens lacunam, incitatus illustri exemplo dato, secundae editioni praesenti etiam extraglobales canones iunxit; sed alteram detexit lacunam, scil. canones relate ad sanctiones referri modo nimis generali ad quamcumque proprietatem ecclesiasticam protegendam, dum valores vix superabiles canonistici sanctionibus multo acrioribus indigere videantur. Vide necessaria ad rem penes Roncalli.

B. Materia tractanda in tres digesta aspectus praesentata.

Prospectu generali absoluto, ulteriores indagines Ecclesiae mentem relate ad archiva ecclesiastica revelabunt. Tota materia, hoc spatio tractanda limitato, sub tribus aspectibus scientiae archivologicae recentis comprehendi potest.

I. *Archiva ecclesiastica ut media optima colligendorum documentorum chartarunque cuiusvis generis, ad Ecclesiam — sive Universalem sive quamcumque particularem — directe vel indirecte spectantium.*

Semel admissa notoria codificatorum parsimonia verborum, ex eadem neque *Iuris Novissimi* auctorem eximendum esse patet; id quod valet speciatim pro eiusdem vocabulorum brevitate, in materia archivistica ceterum pro Ecclesiae vita ac salute haud exigui momenti. Loquens de cancellario-sacerdote, in qualibet Curia dioecesana ab Episcopo constituendo, Codex suggerit quod eiusdem « praecipuum munus sit acta Curiae in archivo custodire » [5]; praeterea legitur Episcopum archivum seu tabularium dioecesanum erigere debere, « in quo instrumenta et scripturae, quae negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur » [6].

Ut chartarum collectio in dies magis evaderet completa, addita est pro primo cuiusvis anni bimestri materiae et continuandae et augendae stric-

---

[5] C. 372.

[6] C. 375, § 1.

ta obligatio, inculcata hisce verbis: « Quotannis, primo bimestri, inventario seu catalogo illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae feurunt »[7].

Cum Ecclesia Catholica sit societas, cuius cura praestantissima est dedicata bono spirituali animarum vel conscientiarum, quid ergo est mirum, quod archiva ecclesiastica quoque hanc activitatis spiritualis partem non possint, quin clare atque continuo praebeant! Ideo Codex loquitur de archivo secreto, in quavis Curia dioecesana sive praeter sive intra archivum generale, formando[8]. Conforme suo characteri secreto, sanctitati atque inviolabilitati humanae conscientiae, « armarium seu scrinium (sit) et obseratum »[9], existens praeter aliud non secretum. Quoniam scripturae, ibidem servandae, habent valorem personalem vel discretum-secretum, eiusmodi collectio non ultra tempus absolute necessarium servetur neve sub ullo praetextu extendatur. De hac re Codex hocce modo docet: « In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur, sed singulis annis quamprimum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae »[10]. Per se patet haec verba referri solum ad causas criminales, et non ad peculiares libros ibidem servandos, de quibus ulteriora in Co-

7 C. 376, § 1.
8 C. 379.
9 C. 379, § 1.
10 C. 379, § 1.

dice in contextu, circa matrimonium conscientiae versante, continentur [11]. Alia archivi *secreti* documenta post congruum tempus ideo sunt delenda, ne tota collectio propter chartarum abundantiam suffocetur. Ante destructionem vero brevissimum summarium conficiendum ac retinendum est quam maxime conveniens.

Tandem Codex non obliviscitur fontis, haud parum abundantis, e quo archiva dioecesana haurire solent, scil. archivorum particularium « ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, paroecialium necnon confraternitatum et piorum locorum inventaria seu catalogi »; eorundem dua exemplaria conficienda sunt, quorum unum in archivo episcopali servetur [12], originalibus vero simul cum altero exemplari retentis.

Iam deliberant serii archivistae nostri saeculi « illuminati », scil. bombarum, imprimis atomicarum, de refugiis securis creandis ac tempore pacis iam in sinu montium ac petrarum praeperandis, ne thesauri archivistici dubioso progressui recenti sacrificari debeant.

Quod attinet ad exemplaria authentica, duae eorum categoriae in archivo Curiae dioecesanae, originalibus in archivis matribus manentibus, sunt servandae: 1) *libri paroeciales*, ad normam Codicis [13] in fine cuiuslibet anni in Curiam transmittendi dioecesanam; 2) inventaria bonorum ecclesiasticorum, de quibus plura in Codice [14] invenies.

---

11 C. 1107.

12 C. 383, § 1.

13 C. 470, § 3.

14 C. 1522, n. 3.

II. *Archiva ecclesiastica ut media efficacia* conservandi *quaecumque sunt scriptim tradita ac digna, quae conserventur — pro scopo sive practico, imprimis administrationis ac gubernationis, sive theoretico ac scientifico indaginum, indolis ante omnia historicae — per Codicis creatores fortiter ac prudenter legibus protecta.*

Collectione quam maxime completa presupposita, ea omnia Codice continentur, quae praeservationi efficaci ac durabili necessaria sel saltem utilia esse possunt.

Duplex hostium genus est, collectione semel bene peracta, a thesauris archivisticis, strenuo arcendum, ne opera data in vanum cedat, scil. elementa externa naturae irrationabilis ex altera, homines cum naturae suae debilitatibus ex altera parte; ideo duplex quoque legum genus.

a) *De legibus contra hostes physicos seu naturae irrationalis elementa latis.*

Iam inde ab initio brevis legislationis archivisticae Codex urget archivum seu tabularium dioecesanum « in loco tuto erigendum esse »[15]. Non obstante expressionis brevitate, multa paucis in verbis continentur. Ex proposito codificator hic abstinere mavult ab ulteriore definitione conceptus « tuto », cum ipse non ignoret, quantopere sit relativus ac flexibilis, prout regio orbis terrae determinata differat.

---

15 C. 375, § 1.

Quod attinet ad protectionem externam-physicam materiae, e qua documenta archivistica constant, patet eam pro locorum diversitate toto coelo differre; ex quo sequitur pericula, deteriorationem, immo destructionem indesinenter minitantia, varias quoque sese defendendi vias requirere.

In partibus orbis terrae siccis solisque radiis semper expositis eam aliis regi principiis quam in regionibus humidis ac pluviosis liquet. Varia climata diversa nutrire animalia, speciatim insecta, archivis insidiosa proindeque postulare varia media arcentia non indiget ulteriore argumento.

Facile perspicitur in regionibus, *flagella terraemotus* vexari solitis, speciali murorum indole opus esse, necnon ferris eos undique concludentibus. Archiva, in planitiebus, vi ventorum agitatis, collocata vel vicina lacibus vel fluminibus, inundationibus facile exposita, diverso sane modo sunt protegenda quam alia in montibus seu collibus erecta atque aquae elemento subtracta.

Ante omnia autem hostis archivorum materiae insidiosissimus atque acerrimus, est ubique terrarum communis summoque exceptus horrore, scilicet *ignis devorans omnia*. Huic hosti universali ut quam efficacissime obvietur, in terra, progressui technico ac practico maxime aperta, in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, methodus, profunditus excogitata, ab Archivo Vaticano postea adoptata atque adoptione implicite reliquis archivis ecclesiasticis ad imitandum proposita et, utpote legis canonicae [16] spiritui prorsus congrua,

[16] C. 375.

est commendata; agitur scil. de usu — in quantum hoc fieri potest —, exclusive metallorum, combustioni vel ignis expansioni non aut minus obnoxiorum, pro documentorum chartarumque receptaculis atque armariis etc.

b) *De legibus contra humanam naturam, qua damnosam, latis.*

Quae multa securitatis media, variis praevalentibus capessenda, nihil sane proficerent, nisi archiva omnibus iis, quibus ad id non est ius vel scientia, aditum praecluderent; quare legislatio strictissima atque — in contextu — minutissima regulas, quoad merum ingressum, a fortiori quoad usum stabilivit [17] sanctionibus indolis ecclesiastico-spiritualis seu moralis-iuridicae partim severis munitas.

Nullae scripturae efferendae sunt absque Episcopi *vel* Vicarii Generalis — in Iure Canonico Episcopi, alterius Ego administrativi —, consensu [18]; eaedem post triduum in suum referendae sunt locum, nisi *solum* ab ipso Ordinario prorogatio obtenta fuerit; quae ceterum *nonnisi moderate* concedi debet [19]; persona, efferens quamvis scripturam, syngrapham ab ipso subsignatam cancellario tradat [20]; a qua restrictione ne cancellarius quidem exemptus videtur esse; lege non distinguente, neque nos distinguere debemus.

---

17 Confer infra, B II vers. fin. p. 223. Simul cum nott. margg. (46), (48), (49) exposita; consule utiliter, quae habet c. 2405.

18 C. 378, § 1.

19 C. 378, § 1.

20 C. 378, § 2.

Adhuc strictiores regulae pro ingressu in archivum dioecesanum statutae sunt, quatenus « nemini illud ingredi liceat sine Episcopi aut Vicarii Generalis *et* cancellarii licentia »[21]. Statim hic est animadvertendum vigere aliquod dubium iuris inter auctores, canones huc pertinentes[22] interpretantes. Nam licentia scripturas efferendi maior atque amplior apparet alia archivum simpliciter ingrediendi; cum tali observatione contradictio formari potest haec: Pro licentia *maiore* una tantum persona opus est, scil. Episcopo *vel* Vicario Generali, pro *minore* vero duabus, scil. Episcopo aut Vicario Generali, *et* cancellario ex altera parte, id quod primo aspectu incongruum vel minus logicum videtur esse.

Difficultatem, hoc modo exortam, auctores varie conantur solvere. Coronata, permissionem archivum ingrediendi multo altiorem esse autumans prae mera unius alteriusve chartae depromptione, insuper pro paucis tantum diebus concedenda, concludit licentiam cancellarii superadditam non esse nisi aequam atque congruam; similiter opinantur Blat et Toso[23]. Goyeneche econtra, permissionem documentum efferendi longe altius esse habendam mero ingressus consensu, cancellarii licentiam minime, sed tantum Episcopi (ex contextu liquet hoc

---

[21] C. 377, § 1.

[22] C. c. 378 et 377.

[23] Coronata, *Institutiones Iuris Canonici,* I, 2a ed., Taurinorum Augustae, 1939, n. 428; Blat, *Commentarium Textus Codicis Iuris Canonici,* II *De Personis,* Romae, 1921, n. 413; Toso, *Ad Codicem Iuris Canonici Commentaria Minora,* III, Romae, 1923, 22-23.

valere quoque pro eiusdem Vicario Generali) requiri, — parte cancellarii in toto negotio occupante dignitatem formalitatis dumtaxat, validitatem nequaquam afficientis — contendit[24]; Episcopum namque seu Vicarium Generalem, sine cancellario maiorem ac graviorem permissionem concedere sufficientem, absque ullo dubio a fortiori minorem minorisque momenti item sine eodem suo subdito scil. Cancellario impertiri posse defendit.

Coronata, auctor illustris, in textu regente ac principali explicite atque haud ambigue statuit, Codicis sumens textum, sicuti exaratus prae legentium iacet oculis[25], permissionem cancellarii adhuc requiri, postquam iam Episcopi (Vicarii Generalis) consensus obtentus fuit; sibi ipsi vero inconstans evadens, vir doctissimus, ac si remorsu conscientiae fuerit vexatus, effectum suorum assertorum revocare vel saltem diminuere conatur; in notula etenim marg.[26] cancellario ius permissionis, dato iam Episcopi (Vicarii Generalis) consensu, recusandi subtrahere tentat; aliis verbis: Cancellarii; voluntas semper Episcopi vel Vicarii Generalis voluntati sive affirmativae sive negativae obsecundare tenetur; id quod cancellarii in re cooperationem ad meram formam externam redigeret, quovis carentem valore interno. Duae sane res bene sunt distinguendae: facultas obiectiva seu iuridica permissionem, Episcopi (Vicarii Generalis) decisioni contrariam, concedendi ex altera parte; de-

---

24 *Iuris Canonici Summa Principia* (Vol. I, Romae: Ex Typis Polygl. « Cuore di Maria », Manuscriptum, 1935), I, 324.

25 C. 377, § 1.

26 Coronata, *loc. cit.*, vide etiam not. marg. appositam.

centia Episcopi (Vicarii Generalis) necnon cancellarii voluntatis — in quantum hoc omnino fieri potest — harmoniae seu congruentiae ex altera parte; utriusque voluntatis uniformitas non est absolute et omnino res optima; nam facile accidere potest, quod Episcopus vel Vicarius Generalis annuerint talibus in circumstantiis, quae — notae cancellario dato casu — potius recusationem sive necessariam sive maxime proficuam suaserint[27]; eiusmodi in casu damnum, Ecclesiae eiusve bonis, ob nimiam forsitan Episcopi (Vicarii Generalis) benignitatem seu indulgentiam imminens, per cancellarii ius ex sua parte permissionem non concedendi averti potest. Permissio, quamvis ab Ordinario eiusve altero Ego iam data, canonice nondum completa, in media ad validitatem via a cancellario sisti valet; idque eo vel magis est congruum, quia hic est in curia dioecesana ea persona quae in negotiis, ad bona Ecclesiae imprimis temporalia spectantibus melius quovis alio dignitario certior factus est habendus.

Omnibus ad rem praemissis ac perpensis, consideratoque casu — ultimo memorato vel simili —, verba Codicis[28] vix aliter sumi valent, quam sonant, nisi vim seu detortionem arte ac dolo quodammodo iis applicaveris; ratio propria, exarato-

---

[27] Coronata, *loc. cit.;* vide etiam not. 7 « Vicar-general has given permission unaware of certain circumstances connected with the party to whom it was conceded, with circumstances being known to the chancellor, strongly prompt him to refuse ». Louis, *Diocesan Archives* (The Catholic University of America Canon Law Studies, No. 137, Washingtonii D. C. 1941, p. 62.

[28] C. 377, § 1.

rem quoque harum linearum movens, est amplitudo multo supereminens archivi usus, permissio ingressus quam merae unius alteriusve documenti terdiurnae receptionis data; ingressus enim, cum mora plus minusve protrahi consueta, plurium casuum ac documentorum investigationem profundam ad libitum, permittit insuper, notis multis scriptim congestis, usum archivi uberrimum ac maxime varium secumtrahit; desumptio chartae seu documenti unius tantum casus est, et insuper generatim eiusdem unius dumtaxat phasis, investigationem permittit, quae nullo modo, ad efficaciam quod attinet, ingressum descriptum aequare valet; verum quidem est et manet, prae documentorum seu chartarum sub aspectu archivologico momento, eorundem depromptionem haud exiguam erga personas depromentes confidentiam includere vel supponere; sed nihilominus maior habenda est et erit licentiam ingressus atque commorationis; pro hac Codicem [29] cooperationem voluntatis duarum personarum altarum publicarum, utpote viam securiorem, postulare non est nisi *aequum et iustum.*

Quod attinet archivum *secretum,* adhuc maiores cautiones sunt praescriptae a Codice [30]. Imprimis « armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum (requiritur), quod de loco amoveri nequeat. In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur » [31].; quod idem archivum secre-

---

29 C. 377, § 1; confer hoc loco iterum, quae legit c. 378, § 1.
30 C. 379, §§ 3 et 4.
31 C. 379, § 1.

tum « duabus clavibus inter se diversis aperiatur »[32], altera custodienda apud Episcopum (Administratorem Apostolicum etc.), altera apud Vicarium Generalem vel, eo deficiente, apud cancellarium. Solus Episcopus (Administrator Apostolicus etc.), nullis presentibus testibus, obtenta secunda clavi, archivum secretum ingredi potest idque nequit relinquere, archivo utraque non clauso clavi[33]. Patet iisdem relate ad archivum secretum iuribus Administratorem Apostolicum, utpote aequivalenti independentia iurisdictionali in dioecesi regenda gaudentem, esse instructum. Ne ullo instanti quisquam, in confusione statim Episcopi morte facile exorta, clavi abuti ac per nefas ingredi possit vel conetur, Codex[34] quodvis eiusmodi tentamen a limine quacumque successus specie vel spe privare valet; sacerdos enim fiduciarius, statim ab obtenta sedis episcopalis sive vacantis sive impeditae notitia, Episcopi assumat clavem[35] eandem traditurus personis, a Codice[36] haud ambigue determinatis. Speciatim, pro scopo praesenti documentorum atque chartarum praeservandorum vel protegendorum est notandum, quanta codificator sagacitate omnia excogitaverit[37] apta, quae duas archivi secreti claves, sede vacante aut impedita, in una eademque manu uniendas efficaciter praepedire valeant; tempore — regiminis, expe-

---

32 C. 379, § 1.
33 C. 379, §§ 3 et 4 de hac re tractant.
34 C. 380.
35 C. 380.
36 381, § 1, nn. 1 et 2.
37 C. 381, § 1, nn. 1 et 2.

rientia atque humanae naturae indole docentibus, durante sedis vacantis sive impeditae conditione, nimis lenis vel laxi — facile cuidam, potestatem interim tenendi, ingressus clandestinus in mentem venire posset, nisi sacri canones quamvis ad hoc spem iam inde ab initio adimerent [38]. Ne omiseris notare, quantum sit periculum, ne claves ambae in manus eiusdem personae cadant, in casu Vicarii Generalis, simul *virum ecclesiasticum* regimen suscipientem, constituentis [39]; prudentiae est codificatoris, quomodo coincidentia eiusmodi tamen unionem utriusque clavis eadem manu adducere non potuerit [40].

Archivum secretum ante novam duarum clavium distributionem obsignetur neve ante Episcopi sive adventum sive reditum aperiatur, nisi data ratione *urgenti,* non solum *gravi;* totum negotium ut res tractatur, quae quamvis dilationis speciem minime patiatur Vicarius Capitularis, dioecesim administrans, nunquam solus, ne data quidem causa urgenti, archivum ingredi potest neque sigillum removere valet, nisi praesentibus duobus testibus, qui sint non quaevis personae, sed sive canonici sive consultores dioecesani; eidem non licet efferre quidquam neque, inspectione peracta, archivum relinquere, quin idem sigillis denuo munierit. Mens est codificatoris hisce [41] impedire, quominus archivum tempore intervalli quidquam patiatur detrimenti neve epocha administrationis documentorum

---

38 Consule utiliter, quae continent cc. 380-382.

39 C. 381, § 1, n. 1.

40 C. 381, § 1, n. 1.

41 C. 382.

ullus usus — seu melius abusus — fiat, qui Episcopo venturo quodcumque praeiudicii genus creare queat.

Quod attinet ad clavem archivi generalis, conditiones sunt multo simpliciores; etenim praeter unam clavem nulla alia, ex officio requisita, existit. Cum cancellarii officium non exspiret simul cum sede vacante et idem [42] sit clavis custos maxime congruus, nulla sane exstat ratio, cur eidem pro tempore sedis vacantis aut impeditae clavis et possessio et usus subtrahatur; idque eo vel minus tenendum est, quia fluxus vitae administrativae vel iudicialis dicto quoque tempore sit continuandus; quid ideo mirum, quod aditus ad archiva generalia aeque patere debeat sicut antea atque omnia sint vitanda, quae eundem difficilorem atque consequenter administrationem dioecesis magis arduam reddere valeant quam antea. Qua de causa clavis ex rationibus obviis practicis penes cancellarium maneat oportet; is sine dubio optime novit ea omnia vitare, quae vitam curialem, tempore vacantiae vel impedimenti satis aggravatam, adhuc difficiliorem seu magis intricatam reddere queant.

Huc pertinet, quod Codex [43] verbis paucis quidem, sed gravibus, ad res archivales pertinentibus, enixe inculcat; ibi enim Ordinariis officium relate ad chartas atque scripturas quacumque de causa distractas seu dispersas atque subtractas archivis, quibus utilissimae si non necessariae sint, inculcatur seriis atque claris expressionibus. Praeter

42 C. 377, § 1.
43 C. 376, § 2.

inquisitionem, sedulo instituendam, Ordinarii quaelibet media, ad easdem archivis salvandas, adhibeant. Rationes quidem, ob quas chartae vel scripturae in manus extraneas pervenerint, possunt esse omnino honestae seu legitimae, e. g. praescriptio vel aliae similis indolis; quibus in casibus Episcopi est eas item legitime atque decenter, veluti eas emendo vel per modum donationum piarum vel aliis viis naturae analogae, acquirere tentare. Quodsi vero possessio sit minus honesta, persuasione, priusquam ad ultimas rationes serias — non exclusis vel poenis severis spiritualibus ecclesiasticis — procedere cogatur, eas obtinere conabitur.

Hic tantummodo brevi revocetur in mentem, quanta cautionum serie archivum secretum, utpote quoad maiorem documentorum partem animarum saluti serviens, protectionis causa sit cinctum; neve quisquam audeat aestimare parvi factum, quod archiva dioecesana contineant documenta, pretiosissimos titulos atque iura inalienabilia indolis cum temporalis tum spiritualis, repraesentantia.

Quantopere praeservatio archivorum Ecclesiae sit curae, clarissime e Codicis libro poenali [44] elucet, qui ne Vicario quidem Capitulari aliisve de Capitulo, a fortiori non extraneis, parcet, qui « documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint » [45]. Poena omnium severissima minitatur

[44] C. 2405.
[45] C. 2405.

vel infligitur, velut separatio a communione salvifica Ecclesiae et quidem haec tam profunditus peccatori infixa, ut S. Sedis absolutione (simpliciter) tantum valeat removeri; eadem ulterius non demum declaratione vel condemnatione Superioris ecclesiastici, sed — id quod est multo gravius — iam *ipso facto* incurritur. Quae omnia sine dubio in re archivistica produnt mentem *Matris Ecclesiae,* secus benignitate atque indulgentia abundantis. Quanti ipsa debet aestimare archiva, bene ordinata ac deposita, quantaque exspectare beneficia ex iisdem pro salute suorum filiorum cum temporali tum spirituali, si violato documentorum sanctuario, suae lenitatis penitus obliviscatur!

III. *Archiva ecclesiastica ut depositoria maximi valoris materiae, unde quaque collectae, pro variis scopis accessibilis reddendae.*

Notum est supremum Ecclesiae scopum exprimi illo principio « Salus animarum suprema lex esto! ». Cui omnia proinde esse subordinanda sive directe (supernaturalia, spiritualia), sive indirecte (naturalia, temporalia) liquet. Archiva quoque utpote receptacula titulorum ac iurium Ecclesiae summi valoris, eidem legi oboediant oportet, id quod vero fieri nequit archivis quidem bene collectis atque custoditis sed inaccessibilibus factis vel semper clausis [46]. Sicut parte praecedente cu-

---

[46] Muller, Feith en Fruin, *Handleiding voor het ordenen en beschrijven van Archieven,* Groningen, 1898, Eerste Hoofdstuk, *Ontstaan en indeeling van archiefdepots,* §§ 10-13, pp. 17-23. Ibi ad rem, scil. commodum depositorum necnon de archivis in genere implicite vel explicite multa invenies.

stodia thesaurorum archivisticorum duplicis erat indolis: physicae scil. et moralis contra duplex hostium genus, ita hic eadem duplicitas est statuenda. Sicut ibi leges providebant utrique indoli, ita in praesenti quoque parte Codex accessibilitatis cum physico-materialis, tum moralis-spiritualis curam agit.

Optima quaeque archiva nullius essent momenti neque operae esset pretium vel minimas pro iisdem expensas facere, a fortiori non publicos sumptus, ullo tempore excogitare, nisi legislatio efficaciter quaestioni, quomodo archiva maxime proficuum servitium praestare valerent, sufficientem dedicasset attentionem. Codex, quantopere summae studens brevitati, inter lineas legere capaci paucis verbis dictu atque scitu necessaria hac in re annuntiabit.

a) *De legibus archivisticis relate ad accessibilitatem atque aperitionem moralem-spiritualem.*

Sicut ex parte elucet introductoria, canones omnia evitare nituntur, quae principiorum archivologicorum sanae evolutioni atque practicae applicationi viam possint praecludere, sicut exemplum concretum, Codicis [47] illustrationis in hac materia causa depromptum, bene ostendet: Archiva apte disposita *omni diligentia ac sollicitudine* inventariis seu catalogis *cum brevi singularum scripturam synopsi* instruantur [48]. Sunt principia etiam alibi in Codice [49] habita.

---

47 C. 373, § 1.
48 Cc. 375, 376, § 2.
49 C. 372, § 1.

b) *De legibus archivisticis relate ad archivorum accessibilitatem atque aperitionem physico-materialem.*

Scientia archivistica recens iterum ac saepius inculcat, quanti sit momenti aedificia archivorum, inquantum fieri possit, in ipsis locis publicis vel saltem non longe ab iis distantibus, ubi confluxus populi sive commercii sive tribunalium sive praetoris vel questoris consultandi causa haberi soleat, esse erigenda.

Ob fines practicos vel scientificos cives viam quoque facilem inveniunt ad archivorum collectiones inspiciendas. Codex, ad rem legens, non potest quin eundem admiretur ob modum classicum brevem, concinnum materiam, exprimentem [50] « ... in loco commodo ... » archivum sit erigendum non in alto monte neve in regione remota ac deserta, sed ubi accessus civibus est facilis ac pervius.

Ad physico-materialem quoque aperitionem pertinent, quae in parte praecedente de clavibus, speciatim earundem duplicitate, explicata erant. Earum scopus est duplex, alter negativus, odiosi gustum sapiens, scilicet claudere res, quas quis facile quovis momento videre vel tractare mavult; alter positivus, odoris minus aversi, scil. easdem aperire cuivis, usum utilem — imprimis bono communi proficuum — documentorum archivalium facienti.

De scopo potius negativo fuit sermo in praecedenti parte, praesertim in qua de unione, in una manu clavium archivi secreti impedienda vel limi-

---

[50] C. 375, § 1.

tanda, tractabatur. Alter vero scopus paucis dumtaxat verbis hic absolvatur. Legibus de clavibus recte adhibendis atque in oboedientia canonica applicatis, fieri non potest, quin bonum publicum ante omnia libertas conscientiae in sensu archivi secreti, summopere foveatur ac promoveatur.

Praeterea abusus per homines, dissipationem documentorum minitantes, clavibus iuste adhibitis a limine arcetur. « In qualibet Curia ... constituatur ab Episcopo cancellarius qui sit sacerdos, cuius praecipuum munus sit acta Curiae in archivo ... ordine chronologico disponere et de eisdem indicis tabulam conficere » [51]. Haec sunt omnia, quae Codex de problemate tanti momenti scire videtur. Sed eundem ex omnibus partibus atque angulis profunde scienti nullum remanet dubium, quin sub humilibus verbis ac simplicibus phrasibus, modo allatis, sapientia, oculo obvie dumtaxat aspicienti abscondita, lateat. Et iure meritoque!

Quin archiva inde ab antiquis temporibus apud nationes, culturae classicae conversas, exstiterint [52], Ecclesia minime ignorat; neque est inconscia facti, quod eadem continuae ad hodierna usque penes varias nationes evolutioni, semper plus minusve vacillanti, subiecta et fuerunt et manserunt. Populi, « latini » nuncupati, a cultura Imperii Romani eiusque traditionibus ut heredes naturales provenientes principiis archivologicis, hodiedum in terris culturae novae antiquata habitis, adhuc sunt addicti; quorum archiva, abundantia chartis gene-

51 C. 372, § 1.

52 Vide ulteriora in hoc tractatu, P. I., B. II, 2, p.

ratim summi valoris historici vel archaeologici, reguntur principiis ac normis, validis quidem pro collectionibus antiquorum manuscriptorum, contrariis vero aspectui, recenti progressui aperto. Quaevis transformatio, adoptando systema hodiernum, solidis exprobatum experimentis, secum traheret sumptus intolerabiles, vires generatim monetarias transcendentes. Prorsus aliter res se habet apud nationes iuveniles, quae traditionibus ac systematibus antiquis non sunt aggravatae atque impeditae; eae archiva demum erigentes optima systemata, hoc demum saeculo excogitata, ex bonis atque utilibus variis formis seligendi habent opportunitates.

Archivum Vaticanum, per multa saecula principiis nunc obsoletis, sub quibus erectum atque amplificatum fuerat, ad nova usque tempora addictum, metamorphosim, non diu absque Ecclesiae damno publico differendam, audacter spreto expensarum horrore, subire nostris diebus erat promptum; parenthetico modo hic sit animadversum Bibliothecam quoque Apostolicam Vaticanam eodem tempore transmutationem profundam, exemplo scientiae librariae — item in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis magno cum successu exscultae in praxim deductae — motam, subiisse: commodo progressui humano non minus quam totius Ecclesiae haud parum contribuendo.

Exemplo, ab ipso Vaticano dato, atque paucis nutibus, a Codice inculcatis, non est mirum quod a mente Ecclesiae auctoritatum non amplius remota censenda est idea: Archiva nova secundum

principia recentissima archivologica esse erigenda, vetera seu antiqua — moderamine quidem erga venerabiles traditiones sapienti ac prudenti adhibito — esse, in quantum hoc absque nimiis sacrificiis fieri possit, reformanda seu transformanda.

Codicem [53] obiter legenti facile apparebit, ac si, *ordine chronologico* a legislatore iusso, porta ad sanum progressum iam inde a limine sit praeclusa; primo namque aspectu mandatum stricte dictum pronunciatum esse videtur, a quo praesenti stante Codice — deviatio fieri nequeat. Auctores vero, hoc in textu interpretantes, minime sunt unanimes et liberiore usi explanatione, loco stricti mandati consilium assumendi potius inclinati esse videntur.

Prümmer, auctor gravis, ordini chronologico — non obstantibus claris Codicis [54] in materia verbis — non, saltem non exclusive, favet, cum, de cancellarii in Curia dioecesana officio disserens, hocce legit modo: « Officium *cancellarii* est: ... acta curiae ... ordine chronologico disponere; nihil tamen obstat, ne etiam ordo systematicus observetur; ... [55] ordinem systematicum chronologico absque haesitatione vel sine remorsu doli seu culpae neque cum sensu voluntatis codificatoris, praefert. Consule alium praeterea auctorem, similis auctoritatis, D'Angelo, qui in suo opere *La Curia Dio-*

---

[53] C. 372, § 1.

[54] C. 372, § 1.

[55] *Manuale Iuris Canonici* (4. ed. et 5. aucta et sec. rec. decis. Rom. recogn., Friburgi Brisgoviae, 1927), Q. 133.

cesana[56] statuit et tenet, de eadem quaestione, modo excellenti disserens, nullam ibi determinatam regulam esse stabilitam. Brevi dicendum est auctores fere omnes consentire ordinem chronologicum neque ad instar mandati neque per modum consilii suggestivi esse allatum, sed e variis casibus, qui in hac materia concrete occurrere possunt, plus minusve parenthetice atque obiter illustrationis causa exemplum esse nominatum.

Liberum agendi spatium in systemate archivologico adoptando seu praediligendo archivistis esse relictum, hacce ex consideratione videtur esse colligendum; Codex ubi[57] quodammodo ex professo atque diffuse — quae vox nonnisi cum solido salis grano prae Codicis verborum nota parcitate sumi potest ac debet — in contextu de archivis disserit ecclesiasticis; nullam ordinis chronologici faciens mentionem; quo ex silentio, in loco ac contextu observato, ad consensum vel — clarius — libertatem quoad systema archivologicum conclusio fit costringens; aliis verbis: Si codificator obligationem imponere intendisset, hoc eiusmodi in textu dicere debuisset.

D'Angelo[58] explicationem, bene informantem, praebet de variis methodis seu systematibus, quae ad archiva disponenda applicari valerent; scil. alphabeticum, chronologicum, systema secundum materiam dispositum, systematico-historicum unum post aliud evolvit; tria priora ex ipsa iam signifi-

---

56 (Giarre - Sicilia, 1922), pp. 98-99.
57 Cc. 375-384.
58 *Op. cit.*, p. 99.

cationis voce intelligi possunt, ultimum vero paucis adhuc verbis indiget interpretantibus. Secundum D'Angelo systema quartum est idem ac illud, quod, magis notum, sub nomine « provenientiae systema » (systéme de provenance) venit; quaestionem quoad systema assumendum atque sparsim applicandum Auctor nullum in sensum, quovis praeiudicio erga libertatem humanam vitato, decidere audet.

Ceterum in praesenti contextu congruum apparebit paucis verbis referre ad scholam Hollandicam, quae nostra demum aetate, exactius versus finem saeculi elapsi, sub nominibus famosis, velut Muller (1848-1922), Feith (1858-1913) necnon Fruin (1857-1935), scientiam archivisticam novis ideis creatricibus locupletaverit, immo eandem novis in fundamentis posuerit. Principium si dictae « provenientiae » (provenance), iam a schola Gallica introduci coeptum (saec. XIX ineunte), ab ipsis ulterius evolvebatur. Ceterum ultimum ad rem nondum prolatum esse videtur verbum.

Jam aliquo tempore antea, in mediis scil. magnae revolutionis procellis, archivistae francogallici quodammodo ad portas scholae laudatae Hollandicae pervenerant; iidem enim per partem systemata antiquata, bibliothecae vel museonomiae ac pro archivis depromi solita, superaverant, novi veris archivistici spe passim excitata. Malo fato media ad victoriam in via constiterant. Catenis, in archivis in eorum detrimentum imponi solitis, nondum penitus fractis eo tempore, archivistis Hollandicis plena victoria parienda reser-

vata erat. Hi exploratores fortes revera novam aetatem pro campo archivistico erant adducturi [59].

Liber ab ipsis viribus unitis publici iuris factus, est sine dubio dignus, cui honor monumenti saecularis ac memorialis porrigatur; eiusdem forma, sequela scilicet quaestionum praecisarum ac responsorum clarorum, iure meritoque « catechismus archivologiae » nuncupari possit. Quamvis, prae perpetuo fluxu rerum archivisticarum systema finale non sit omnino determinatum, non existit ullum dubium, quin propria scientia, nitidis limitibus versus scientias cognatas nunc gaudens, maiora humano generi beneficia exserere valeat.

Dispositio secundum materiam praedilectionem archivistae, saltem in dioecesibus antiquis, invenerat; id quod facile intelligitur et — in quantum fieri potest — excusatur, prae oculis habito facto: Archiva dioecesium, traditionibus antiquis gaudentium, generatim collectionibus manuscriptorum vel antiquissimorum aliarumque chartarum prae aetate venerabilium fruebantur; quae collectiones, ut pars archivorum principalis habitae, rigidis classificationum regulis aggravatae, partem quoque mere archivalem iisdem subiugabant.

Classificationis principia antiquata nimis facile ab iis archivis, quae sunt cum bibliothecis, speciatim antiquis, coniunctae — plerumque in eodem quoque spatio unitae —, illico adoptantur

---

59 Consule utiliter opus ad rem famosum: Muller, Frith en Fruin, *Handleiding voor het ordenen en beschrijven van archieven,* scitu necessaria de novis aspectibus archivologicis continens; Giry, *Les Archives, II, France,* La Grande Encyclopedie, III, 748-760.

atque applicantur, cum vero archiva secundum suam indolem profundam alias compositionis leges postulent. Quamquam Codex de hac re silet, primus eiusdem legislator proprius, S. Pius Papa X (1903-1914), pro Vicariatu dioecesis Romanae, magistrae ac dominae omnium catholicarum dioecesium[60], quattuor instituit officia, quorum unumquodque separatum possidet archivum videlicet: Tribunal dioecesanum, officium operum caritativorum, officium scholarum, officium activitatum missionariarum, praeterea tot officia functionum episcopalium, quot censentur necessaria, superaddita generali Episcopi officio. Fundi, orti in diversis his officiis, tamquam unitates tractentur atque ad intra regantur, prout officio congruum videtur[61]. Fundos qua unitates remanere vel, sive in continuo fluxu sive datis saltem intervallis[62], e statu currenti ad custodiam transire stabilem S. Pius non decrevit, hoc problema sano potius administratoris iudicio relinquendo. Sed tali specifica secundum functiones administrativas divisione semel facta, classificatio artificialis et theoretica non est amplius necessaria ac provenientiae systemati via parata est; Codicem ulterius progredi neque voluisse neque potuisse patet nobis, beneficiis archivologiae — maturius atque longe ulterius interim evolutae — demum versus medium saeculum vicesimum fruentibus. Codex, si-

---

60 Cf. X. II, 2, 20: « Roma omnium ecclesiarum mater est eadem et magistra ». Vide utilissime ulteriora ad rem penes: ROBERTI, *De processibus* Romae, 1941, I v. 67.

61 Pius X, const. *Etsi Nos*, 1 ian. 1912, *Fontes*, n. 697.

62 Sicut Codicis c. 376 nunc vult.

cuti exstat hodie, fundi originis vel alterius systematis adoptionem principii neque imperat neque suadet, sic liberae solutioni individuali nullum creando praeiudicium.

Cum Benedictus Papa XV (1914-1922) Commissionem Pontificiam, cui uni legislationem canonicam temporum necessitatibus accommodandi atque authentice interpretandi ius competit, instituerit[63], haud parva existit spes leges relate ad archiva ecclesiastica cuivis ulteriori scientiae archivisticae evolutioni paulatim accommodatum iri.

Ut thesauri, in archivis latentes, expedite ac facile omnibus iis, quorum ad rationem sive seriam propriam sive publicam indolis practicae non minus quam scientificae interest, sint accessibiles, praeter physicam clavem moralis-spiritualis quoque exstet oportet. En Codex qui ad rem legit: « ut omni diligentia ac sollicitudine conficiatur inventarium seu catalogus documentorum ... cum brevi singularum scripturarum synopsi »[64]. Ex toto verborum tenore elucet, quantopere legislatori sit curae archiva servire sive iis, qui administrant dioecesim sive qui scientificis incumbunt inquisitionibus, i. e. omnibus, quibus utilia vel necessaria esse possint.

Huic eidem Ecclesiae desiderio correspondent omnes restrictiones, atque cautiones severissimae, quae chartarum vel documentorum impedire in-

---

[63] Motu propr. *Cum Iuris Canonici*, sept., 1917. AAS, IX (1917) 483-484.

[64] C. 375, § 2.

tendunt dispersionem vel deteriorationem. Vide ad rem, supra [65], iam exposita.

Tandem Codex [66] accessibilitati directae consulit. Cuilibet homini, cuius interest, inspiciendi conceditur permissio vel, dato casu, exemplaria legitima exscribuntur ac traduntur. Archivorum custodes regulas et « in communicandis documentis et in eorum exemplaribus describendis tradendisque statutas servent ... in casibus dubiis loci Ordinarium consulant » [67].

Per se patet scripturas, quae sub secreto cadunt naturali, ab accessu, habendo saltem per personas privatas vel per personas publicas quidem, sed ob rationes mere privatas ingredientes, remanere exclusas.

CONCLUSIO COMPREHENSIVA FINALIS CONSIDERATO TRIPLICI SCOPO LEGUM ARCHIVISTICARUM CODICIS: IURIS NOVISSIMI *in re archivistica codificatio scientiae archivologiae recenti minime adversatur, immo eiusdem progressui novissimo est — non obstantibus lacunis relictis — prorsus aequa.*

Nihil efficacius triplex canonum genus secundum eorundem scopum trinum inculcare valet hac conclusione, perorationis causa, addita: Legislatio Codicis Iuris Canonici scientiae archivisticae qua tali minime adversatur, immo eiusdem progressui novissimo est — non obstantibus lacunis relictis — prorsus conformis.

---

65 B. II, pp.

66 C. 384, §§ 1 et 2.

67 C. 384, § 2.

Explicationibus principalium relate ad archiva ecclesiastica canonum hisce absolutis, patet non de simplici successione canonum, ad instar commentarioli, per modum exegesis vel interpretationis, tractatulum institutum esse. Materia namque legislationis archivisticae tres in directiones logicas ac practicas digesta fuit, prout archiva ecclesiastica habenda sunt *collectiones* vel uniones chartarum ac documentorum; eorundem *conservationis* vel protectionis media efficacia, thesaurorum, in iisdem absconditorum; *aperitionis* vel *explorationis* fundamenta necessaria atque indispensabilia. Cum scientia archivologiae recentissimae eidem triplici archivorum fini summopere inhaereat, non sonat ullo modo mirum, quod Codicis interpretatores nonnisi maxima cum satisfactione invenire seu detegere potuerint sacros canones omnia continere elementa — modo explicite modo implicite — quae sive congestioni sive custodiae sive servitio et theoretico et practico chartarum ac documentorum in archivis valeant servire. Linearum exarator praesentium hanc solam ideam clare enucleare intendit: Inter archiva, secundum leges canonicas erecta, et scientiam archivologicam non modo non praevalet ullum discrepantiae vestigium, sed e contrario viget inter utraque plena harmonia! Viri vero in materia competentes *sine studio et ira* de hoc iudicent, utrum scopus praefixus obtentus fuerit necne.

HENRICUS L. HOFFMANN

MONUMENTA

SS. D. N. Ioannis Pp. XXIII

ALLOCUTIO

Iis qui, ex utroque clero, Censorum librorum coetui interfuerunt *

(AAS. LI [10-17 dec. 1959] pp. 867-870)

Siamo lieti di darvi il più affettuoso benvenuto, diletti figli addetti alla previa revisione dei libri, che col presente incontro Romano avete voluto concludere il vostro Convegno. Salutiamo in voi una eletta schiera di sacerdoti studiosi, cui è affidato un incarico assai delicato, e che pertanto vogliono distinguersi per una amabile fusione di provate virtù. Non per nulla il Codice di Diritto Canonico vi vuole *aetate, eruditione, prudentia commendati*: [1] e da tale definizione Ci è gradito trarre motivo per esprimervi il Nostro fervido apprezzamento.

Nell'ambito del libro voi svolgete infatti un'opera paziente, silenziosa ed equilibrata, in aiuto e alle dipendenze dei vostri Ordinari, sulla cui coscienza ricade in primo luogo la responsabilità di custodire, difendere, diffondere la sana dottrina. Di fatto questo lavoro è diretto alla scoperta dei genuini valori umani e cristiani, ed alla ferma e leale riprovazione di errori e di atteggiamenti perniciosi.

La vostra opera è per voi causa di dura fatica e di continuo assillo: non soltanto perchè essa esige sacrificio

* Die 18 Novembris mensis a. 1959.
[1] Can. 1393, par. 3.

di tempo, e anche logorìo di energie fisiche; ma soprattutto perchè una pesante responsabilità grava sul vostro lavoro, e vi accompagna come un vivace stimolo, ricordandovi il numero delle coscienze che si affidano al giudizio dell'Autorità Ecclesiastica, per trarne una regola morale, ed un sicuro criterio cui uniformarsi. La missione che svolgete è, sotto questo aspetto, di altissimo valore, perchè partecipe delle materne sollecitudini della Chiesa nel guidare ed istruire i propri figli nella conoscenza della verità, e nel difenderli da ogni pericolo.

Già il Nostro Predecessore Pio XII di ven. mem., nella Udienza accordata nel febbraio 1956 agli Ecclesiastici addetti alla recensione del libro, ebbe a definire la loro posizione di collaboratori della Chiesa *in opus ministerii,*[2] dicendo testualmente: « in ciascuno di voi Ci pare di riconoscere un valido e fido cooperatore del Nostro ministero pastorale »[3]. Queste parole tanto più debbono dirsi di voi, che dovete essere preziosi strumenti e fidi collaboratori dei vostri Ordinari, e quindi della autorità ecclesiastica, al servizio della verità, per la salvaguardia del patrimonio di fede e di morale, che deve essere tramandato intatto alle generazioni che verranno.

Nel campo in cui si svolge la vostra attività c'è stato in questi anni un incessante progresso, che può venire riguardato con sereno apprezzàmento, pur nel doveroso rilievo dei difetti in cui si può incorrere.

Diletti figli!

Qual'è il vostro dovere in tale situazione, in cui si ha una contrapposizione così rilevata di luci e di ombre? Non Ci sfuggono le difficoltà che spesso possono disorientarvi o scoraggiarvi nel vostro lavoro. Ma se da una parte è per voi pericoloso lasciarvi abbattere dalla considerazione degli aspetti meno consolanti, dall'altra non sarebbe meno dannoso abbandonarvi ad un facile ottimi-

---

[2] *Eph.* 4, 12.

[3] *A. A. S.*, XLVIII (1956), p. 127 - *Discorsi e Radiomessaggi,* XVII, 1955-56, p. 515.

smo, che potrebbe portare a pericolosi accomodamenti e transazioni, con rischio di danneggiare il sacro deposito della dottrina, e le anime dei fedeli.

Vi è dunque necessario un sano realismo, che non dimentichi la condizione dell'umana natura ferita dal peccato originale; ma esso non va disgiunto da uno slancio apostolico, dettato da profondo zelo, ricordando quanto è stato detto del Divin Salvatore: « Egli non romperà la canna scheggiata, nè smorzerà il lucignolo fumigante, finchè non conduca a vittoria la giustizia [4].

Il Revisore ecclesiastico non dovrà pertanto lasciarsi portare a quella intransigente durezza, che abbatte ma non riedifica, scoraggia ma non rianima, addolora ma non *ad poenitentiam;* egli eviterà altresì ogni facilità e corrività di giudizio, affinchè la sua opera si distingua sempre per intelligenza, sensibilità e perspicacia, nella chiara visione dei propri compiti, per il fedele servizio dell'autorità ecclesiastica. A questo proposito è utile ricordare che l'accennato canone esige dai censori ecclesiastici che *in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant.* La vostra opera dovrà quindi essere costantemente ispirata ad un retto equilibrio, per indicare fermamente ed amabilmente le vie della giustizia.

Queste caratteristiche si compendiano in una nota massima, attribuita a diversi autori, ma non per questo meno preziosa e utile. L'abbiamo ricordata nella Nostra prima Enciclica, e pensiamo che opportunamente si adatti anche al vostro lavoro: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.*

Questa unità trae la sua ragione dall'inviolabile santità della religione, che si deve sostenere e difendere contro ogni mutevole moda del tempo e ogni infido ondeggiamento di pensiero: essa è perciò garanzia di ordine e di sicurezza, ma al tempo stesso comunica una forza meravigliosa e invincibile alle nostre intraprese.

Ispirandosi a tale dovere di unità, il Revisore eccle-

---

[4] *Matth.* 12, 20; cfr. *Is.* 42, 3.

siastico dovrà anzitutto possedere, nei limiti del possibile, una conoscenza approfondita della Teologia e della Morale cattolica, della Patristica e della Tradizione ecclesiastica, dell'insegnamento Pontificio: e attenervisi conseguentemente nella applicazione ai casi concreti, con serietà, disciplina e scrupolosità, mirando alla tutela del bene comune: si eviterà così una diversità di giudizio, che potrebbe portare a confusioni e disorientamenti pericolosi.

La accennata libertà è poi quella che si affida alla coscienza e al buon senso del Revisore, alla sua maturità di giudizio e prontezza di orientamento: in un campo così vario ed elastico, qual'è dato dalla produzione culturale e letteraria, ove si presentano, rivestiti dalla lucentezza della forma artistica, i casi più diversi e impreveduti dell'esistenza umana, è assai importante sapersi muovere con facilità, non soltanto per individuare gli aspetti positivi, e sottolineare i negativi, ma altresì per orientarsi saggiamente nell'esame di quanto sfugge ad una più precisa presa di posizione dottrinale o morale.

Infine, ma sopra ogni cosa, la carità, virtù regina nella quale si compendiamo l'insegnamento e la pratica della Legge[5]: essa preserva il giudizio dal pericolo di freddezza e di disprezzo, come pure ne tempera la eventuale severità con la soave delicatezza, che ispira negli animi. Anche per il vostro lavoro trovano dunque piena attuazione le caratteristiche attribuite da San Paolo a questa virtù, nell'immortale elogio: « La carità è paziente, è benefica: non astiosa, non è insolente, non si gonfia ... non si muove ad ira, non pensa male, non gode dell'iniquità, ma si rallegra del godimento della verità »[6]. La carità, a cui voi vi ispirate, non farà certamente velo all'amore per la verità: sicchè anche qui vi può essere di sicuro orientamento l'esortazione paolina: *Veritatem facientes in caritate*[7].

---

[5] Cfr. *Rom.* 13, 8.
[6] *1 Cor.* 13, 4-6.
[7] *Eph.* 4, 15.

Questi, diletti figli, sono i pensieri e le esortazioni che, pensando a questa Udienza, Ci sono sgorgati dallo animo, e che così semplicemente vi abbiamo voluto comunicare. Siamo certi che voi già ve ne ispirate e che, riconfermati nei vostri propositi, ne trarrete rinnovato conforto a continuare con serenità e prudenza nel vostro arduo e delicato lavoro.

Noi vi accompagnamo con la Nostra preghiera assidua, con cui invochiamo dal Cielo lumi copiosi e continui su le vostre menti e su le vostre fatiche. Ed augurandovi di trarre dal vostro Convegno ogni auspicato frutto per le vostre future attività, in pegno dei divini favori vi impartiamo la Nostra paterna, propiziatrice Benedizione Apostolica.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Sacra Congregatio Consistorialis

DECRETUM

(AAS. LI [10-17 dec. 1959] pp. 915-918)

De facultatibus et gratiis pro America Latina et pro insulis Philippinis.

Privilegia et gratias per Apostolicas Litteras sub Anulo Piscatoris « Trans Oceanum », anno 1897 a Summo Pontifice Leone XIII, fel. rec., omnibus Ordinariis locorum, sacerdotibus et christifidelibus Americae Latinae ad triginta annorum spatium concessa, Summi Pontifices S. Pius X, Pius XI et Pius XII, rec. mem., sive ad Insulas Philippinas extenderunt sive, per subsequentia Apostolica documenta: « Literis Apostolicis » et « Conspicua privilegia », deinceps usque ad integrum annum 1959 benigne confirmarunt seu prorogarunt. Ea enim in evidentem christifidelium utilitatem feliciusque eorumdem regimen redundare compertum erat.

Cum autem hoc exeunte anno quos supra memoravi-

mus Ordinarii — Americae Latinae scilicet et Insularum Philippinarum — iisdem permanentibus adiunctis, enixe postulaverint ut eadem privilegia, nonnullis inductis immutationibus, adhuc prorogarentur, Ss.mus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia Pp. XXIII, consultis Eminentissimis Patribus Sacrorum Romanae Curiae Dicasteriorum, pro rebus et causis ad unumquodque spectantibus, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, porrectis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter praesenti Consistoriali Decreto eadem Sanctitas Sua, omnibus et singulis locorum Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus dioecesium et ditionum Americae Latinae et Insularum Philippinarum facultates et gratias, quae infra edicuntur, benigne confirmat atque elargitur usque ad diem 31 mensis Decembris anni 1969.

1) Ordinarii locorum parochis vel missionariis, in regionibus seu locis in quibus, ob magnam distantiam vel ob aliud impedimentum, eisdem perdifficile sit, ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum ferre aquam Sabbato Sancto benedictam, possunt facultatem concedere aquam baptismalem benedicendi ea breviori formula, quae, a Summo Pontifice Paulo Pp. III missionariis in Peruvia apud Indos concessa, nunc in Appendice Ritualis Romani legitur.

2) Parochi et missionarii, si propter temporis defectum improbamque defatigationem, vel aliis gravibus de causis, omnes adhibere pro Baptismo adultorum praescriptas caeremonias haud facile valeant, solis ritibus, qui in Constitutione memorati Pauli PP. III *Altitudo* die 1 mensis Iunii anno MDXXXVII data designantur, uti licite poterunt, praevio tamen Ordinarii consensu.

3) Item Ordinarii locorum, secluso Vicario Generali sine Episcopi speciali mandato, deputare possunt, ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes, quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes, num-

quam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum Instructione pro simplici sacerdote, ex Sedis Apostolicae delegatione, Sacramentum Confirmationis administrante (*A. A. S.*, XXVII, 11 seq.).

4) Iidem Ordinarii ad assistendum nuptiis iuxta formam a iure statutam delegare possunt sacerdotes qui, Missionum causa, ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali sede dissitas, pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, atque iis servatis, quae, prouti res ferat et loci ac temporis conditiones observari permittant, matrimonii celebrationi, ad normam canonis 1019 et seq. Codicis Iuris Canonici, praemitti debent; facta tamen huius Apostolici Indulti expressa mentione in unoquoque casu et iugiter firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.

5) Ordinarii pariter dispensare valent super matrimonialibus, iuris dumtaxat ecclesiastici, impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, exceptis proinde impedimentis, quae ex Sacris Ordinibus vel ex affinitate in linea recta consummato matrimonio proveniunt; excepto quoque, ob rei gravitatem, impedimento de quo in canone 1075, nn. 2, 3; exceptis denique mixtae religionis et cultus disparitatis impedimentis, nisi speciales a Suprema S. Congregatione Sancti Officii facultates obtentae fuerint.

Insuper venia iisdem conceditur decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta; facta tamen in unoquoque casu, etiam in concedendis dispensationibus, huius Apostolici Indulti expressa mentione.

6) Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largitur ut quocumque anni tempore Nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus, in

quibus ab Ecclesia nuptiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in appendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur.

7) Conceditur pariter ut Sacra Olea etiam antiqua, non ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova vel recentiora Sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant.

8) Ordinarii permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut huiusmodi usus sit tantum in fidelium bonum atque illis in locis, in quibus ecclesia vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans, non vero in mari; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles, sacro adstantes, instruant.

9) Ordinarii concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in navi sacrosanctum Missae Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dummodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum praeseferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e Calice effusionis Sacrarum Specierum periculum absit; atque alter sacerdos, superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

10) Ordinarii locorum sacerdotibus suae iurisdictioni obnoxiis, ubi viarum et curruum deest copia, facultatem concedere valent substituendi, loco altaris portatilis seu petrae sacrae, aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et ab Episcopo benedictum, in quo conditae sint Sanctorum Reliquae ab eodem Episcopo recognitae, super quo iidem sacerdotes sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare queant iis tantum in casibus, et onerata eorum conscientia, in quibus aut nulla ecclesia vel oratorium sive publicum sive privatum exstet, et valde incommodum sit lapideum altare secum in itinere transferre

aut in promptu habere. Servatis de cetero servandis iuxta Rubricas, praesertim quoad tobaleas et corporale.

11) Omnibus autem Americae Latinae christifidelibus permittitur ut a dominica Septuagesimae usque ad diem 16 mensis Iulii, in Commemoratione B. M. V. de Monte Carmelo, praecepto annuae paschalis Communionis satisfacere possint.

12) Iisdem christifidelibus largitur, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias et Iubilaea quae Confessionem et Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quamprimum poterunt, confitendi.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 8 mensis Augusti anno 1959.

† MARCELLUS Card. MIMMI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S. † JOSEPHUS FERRETTO, Archiep. Serdicensis, *Adsessor*

Annotationes

In his annotationibus non intendimus facere commentarium privilegiorum quae per hoc decretum Americae Latinae et Insulis Philippinis ad decennium conceduntur, sed breviter indicare nonnullas differentias notatu dignas, quae intercedunt inter hoc decretum et documenta annorum 1929, 1939, 1949, quibus dicta privilegia ad successiva decennia prorogabantur.

Imprimis animadvertitur nunc primum mentionem explicitam fieri Insularum Philippinarum. Immo in textu decreti actualis non potest non videri intentio indubie declarandi Insulas Philippinas gaudere semperque gavisas esse, a concessione S. Pii X, iisdem privilegiis Americae Latinae iterum iterumque prorogatis, quamvis in

praecedentibus documentis prorogatoriis nulla mentio Insularum Philippinarum facta sit.

Ut notum est, Leo XIII per Litteras Apostolicas *Trans Oceanum*, die 17 apr. 1897, multa privilegia concessit Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus Americae Latinae [1]. Huiusmodi privilegia non sunt concessa nisi Americae Latinae, nec sub hoc termino generali Insulae Philippinae includebantur.

S. Pius X, die 1 ian. 1910, « ad universam regionem Insularum Philippinarum extendere dignatus est privilegia Americae Latinae, per Litt. Apost. *Trans Oceanum*... ad triginta annos concessa; ita tamen ut, quousque dicta privilegia pro America Latina perdurent, eodem tempore pro Insulis Philippinis vigeant, ut tum in America Latina tum in praefatis Insulis eadem sit privilegiorum duratio » (*Indultum ad Insulas Philippinas*: AAS 2, 1910, 220).

Haec privilegia anno 1927 suo valore destituta sunt, tum pro America Latina tum pro Insulis Philippinis, cum trentennium inceperit decurrere anno 1897.

Pius XI illa iterum concedenda existimavit. Sed « ob Codicis Iuris Canonici promulgationem et mutatas rerum temporumque conditiones, nonnullae immutationes desiderabantur in priscae concessionis tenore » (AAS 21, 1929, 554). Hinc novum schema privilegiorum confectum est, facultatesque ac gratias in eo contentas ad decennium Pius XI per Litteras Apostolicas *Litteris Apostolicis* prorogavit.

Ad destinatarios autem quod attinet huiusmodi privilegiorum, dantur in dictis Litteris haec tantum elementa indicativa: In rubrica dicitur: « Ordinariis, sacerdoti-

---

[1] Praeter privilegia per Litt. Apost. *Trans Oceanum* anno 1897 ad trentennium Americae Latinae concessa, Leo XIII anno 1900 alia ulterius privilegia iisdem territoriis concessit ad decennium. Huiusmodi privilegia, S. Pius X, anno 1910, ad aliud decennium prorogavit, atque in eodem indulto ad Insulas Philippinas extendit (AAS 2, 1910, 217-219). De istis indultis nulla mentio fit a Pio XI in suis Litt. Apost. *Litteris Apostolicis* anni 1929.

bus et christifidelibus *dioecesium ac ditionum Americae Latinae* privilegia ac facultates ad decennium conceduntur ». In compendio historico introductorio mentio non fit nisi Litterarum Apostolicarum *Trans Oceanum,* quibus « Decessor Noster Leo Pp. XIII ad trentennium valitura Episcopis, presbyteris, christefidelibus *Americae Latinae* conspicua concessit privilegia... ». Nihil dicitur de extensione privilegiorum ad Insulas Philippinas facta a S. Pio X, anno 1910. In clausulis concessionis ita determinat Pius XI destinatarios: « ...prorogamus facultates, quas omnibus et singulis *dioecesium ac ditionum Americae Latinae* Ordinariis, sacerdotibus, et christifidelibus, ut infra, tribuimus » (AAS 21, 1929, 554-555). Nulla mentio fit Insularum Philippinarum. Vox « ditio », quae nullam habet significationem canonicam, adhibetur procul dubio ad comprehendendam totam American Latinam, quicumque sit gradus organisationis ecclesiasticae ad quem quaelibet pars eius territorii pervenerit.

In decreto anni 1939, quo ad aliud decennium prorogabantur privilegia, dicebatur in rubrica: « Decretum de specialibus facultatibus *Ordinariis Americae Latinae* concessis ». In textu vero decreti: « ...peculiares facultates *Ordinariis Americae Latinae,* pro fidelium necessitatibus et locorum conditionibus... » (AAS 31, 1939, 224). Nihil dicitur de Insulis Philippinis. Supprimitur terminus « ditio ».

Rubrica decreti prorogatorii 1949 dicit: « Decretum de facultatibus et gratiis *pro America Latina* ». Textus vero concessionis: « ...omnibus et singulis Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus *dioecesium et ditionum Americae Latinae* ... » (AAS 41, 1949, 189). Nihil de Insulis Philippinis. Apparet iterum vox « ditio ». In introductione non memorantur nisi concessiones Leonis XIII, Pii XI et decretum anni 1939. Nulla mentio de extensione facultatum facta a S. Pio X in favorem Insularum Philippinarum.

In decreto vero ultimo, anni scilicet 1959, res prorsus aliter se habent. Rubrica sic inscribitur: « Decretum de

facultatibus et gratiis *pro America Latina et pro Insulis Philippinis* » (AAS 51, 1959, 915). In introductione, facta mentione concessionis Leonis XIII ut in documentis praecedentibus fieri solebat, additur: « ... Summi Pontifices *S. Pius X,* Pius XI et Pius XII, rec. mem, sive *ad Insulas Philippinas extenderunt,* sive, per subsequentia Apostolica documenta [...] usque ad annum 1959 benigne confirmarunt seu prorogarunt ». Prima vice invenimus mentionem de S. Pio X atque de eius extensione facultatum ad Insulas Philippinas. Infra, cum Decretum memorat preces Ordinariorum pro prorogatione privilegiorum, acclarationem facit, quam quis pleonasticam dixerit: « Cum autem hoc exeunte anno quos supra memoravimus Ordinarii — *Americae Latinae scilicet et Insularum Philippinarum* — iisdem permanentibus adiunctis, enixe postulaverint ut eadem privilegia [...] prorogarentur... ». Denique formulae concessionis adhiberi solitae in documentis praecedentibus, « omnibus et singulis locorum Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus *dioecesium et ditionum Americae Latinae* », additur haec clausula omnino nova: « *et Insularum Philippinarum* » (AAS, ibid.).

Nullum tamen dubium suscitari potest de vigentia in Insulis Philippinis huiusmodi privilegiorum, quamvis in concessione originaria Leonis XIII pro America Latina, non includerentur Insulae Philippinae et in subsequentibus documentis prorogatoriis nulla umquam de eis mentio facta sit. Praesens decretum (anni 1959) indubie praesupponit praecedentes prorogationes decennales a Pio XI et a Pio XII concessas, valuisse etiam pro Insulis Philippinis. Nec difficultas ulla in hoc inest, cum in Indulto S. Pii X, die 1 ian. 1910, huiusmodi prorogationes praevideantur, atque privilegia, quae ad Insulas Philippinas tunc extenduntur, aequiparanda esse quoad durationem privilegiis Americae Latinae in Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* concessis, decernatur.

Haec privilegia conceduntur toti Americae Latinae et omnibus Insulis Philippinis, territoriis quae in illis a S. C. de P. Fide dependent, non exclusis. Si enim atten-

duntur prima documenta, quibus privilegia concessa sunt, atque successiva decreta, quibus prorogata sunt, clare patet omnia esse documenta pontificia (quamvis ultima a S. C. Consistoriali sint emanata), directa « omnibus et singulis locorum Ordinariis, Sacerdotibus et Christifidelibus dioecesium et ditionum Americae Latinae et Insularum Philippinarum », sine distinctione ulla inter territoria a S. C. Consistoriali et territoria a S. C. de P. Fide dependentia. Hoc vero minime impedit quominus territoria missionalia Americae Latinae et Insularum Philippinarum, possint cumulative gaudere etiam privilegiis et facultatibus quas Sacra C. de P. Fide pro suis subditis concedit.

Immutationes inductae

In decreto dicitur privilegia prorogari « nonnullis inductis immutationibus ». Huiusmodi immutationis sunt quae sequuntur:

Sub n. 4) in formulis praecedentibus dicebatur: « ...iisdem Missionibus perdurantibus, *absente ordinario, vel parocho, vel vicario cooperatore,* atque iis servatis... ». In formula autem ultimi decreti suppressa sunt verba quae linea subduximus, quo fit ut notabiliter imminutae sint conditiones quae requirebantur ut Ordinarius delegare posset sacerdotes Missionarios ad assistendum matrimoniis. (N. B. Patet facultatem delegandi de qua hic agitur intelligi debere de *delegatione generali,* cum delegatio particularis ad casum ab Ordinario, immo et a parocho dari possit, iuxta cc. 1094, 1096).

In n. 9) dicebatur: « Ordinarii *permittere possunt...* ». Nunc autem dicitur: « Ordinarii *concedere* possunt... ».

Numerus 10) formulae praesentis additus est schemati formularum praecedentium. Facultas de qua in hoc numero agitur est tota quanta nova.

Sub n. 11) (10 in praecedenti schemate) antea permittebatur christifidelibus satisfacere praecepto paschalis Communionis « a dominica Septuagesimae *usque ad festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli* ». Iuxta

formulam autem actualem, « a dominica Septuagesimae *usque ad diem 16 mensis Iulii, in Commemoratione B. M. V. de Monte Carmelo* ».

Haec sunt immutationes inductae per decretum ultimum prorogatorium (anni 1959). Ut complementum materiae, indicamus mutationes omnes quas formulae subierunt in successivis prorogationibus ab anno 1929.

Numeri 1, 2, 5, 6, 7, 8, 12 (11 in praecedenti schemate), nullam unquam subierunt mutationem.

In n. 3) restrictio facultatum alicuius momenti addita est anno 1939. In formula 1929 dicebatur: « Item Ordinarii locorum deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis... » Ab anno vero 1939 legitur formula actualis: « Item Ordinarii locorum, *secluso Vicario Generali sine Episcopi speciali mandato,* deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis... ». Ab anno 1949 additur citatio loci ubi *Instructio* pro simplici sacerdote sacramentum Confirmationis administrante invenitur. (N. B. Circa facultates sub hoc numero concessas, vide dissertationem, quam publicamus in prima sectione huius fasciculi, supra pp. 143-190).

Numerus 12) qui inveniebatur in formulis anni 1929 et 1939, disparuit definitive in formula anni 1949. Sic sonabat: « Denique largimur ut in causis tam criminalibus, quam ceteris quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, quae in rem iudicatam iam non transierint, fieri possit appellatio in tertia instantia ad alterum Metropolitam vel Episcopum eiusdem provinciae, viciniorem ei a quo primo fuit lata sententia; integra tamen manente facultate ad Apostolicam Sedem ad iuris tramitem, recurrendi » (AAS 21, 1929, 257; AAS 31, 1939, 224).

URBANUS NAVARRETE, S. I.

Sacra Congregatio Concilii

DECRETUM

FACULTAS ANTICIPANDI OBLIGATIONEM ABSTINENTIAE ET IEIUNII PERVIGILII NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI.

(AAS. LI [10-17 dec. 1959] p. 918)

Plurimorum Episcoporum ex multis Nationibus votis obsecundans, Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, praesenti Sacrae Congregationis Concilii Decreto, gratiam deinceps anticipandi obligationem abstinentiae et ieiunii a die vigesima quarta, pervigilio Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, ad diem vigesimam tertiam mensis Decembris omnibus orbis catholici fidelibus concedere dignatus est.

Datum Roma, die 3 Decembris 1959.

L. ✠ S.

P. Card. CIRIACI, *Praefectus*
P. PALAZZINI, *a Secretis*

Sacra Congregatio Rituum

DE CELEBRATIONE VIGILIAE PASCHALIS MANE DOMINICA RESURRECTIONIS

Antequam edimus decretum S.C. Rituum, textum petitionis praebemus, ut rationes indulti pateant.

CURIA EPISCOPALIS
HILDESIENSIS
Nr. 1487 HILDESHEIM, die 15 Januarii 1959

Ad Sacram Congregationem Rituum, Romae.

Beatissime Pater!

Henricus Maria, Episcopus Hildesiensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, devotissime audet exponere quae sequuntur:

Iuxta decretum generale Sacrae Congregationis Rituum de instauratione liturgici ordinis Hebdomadae Sanctae de die XVI Novembris 1955 (AAS 1955 p. 838 ss. n. 9) simulque iuxta ordinationes et declarationes eiusdem Congregationis circa ordinem Hebdomadae Sanctae instauratum de die I Februarii 1957 (AAS 1957 p. 91 ss. n. 19) *celebrandae Vigiliae paschalis hora* ordinaria est ea, quae permittat Missam solemnem incipere circa mediam noctem, extraordinaria autem ea, quae anticipat actionem liturgicam certe post solis occasum.

Experientia annorum 1956-1958 in mea dioecesi docet fideles magno quidem applausu instaurationem Hebdomadae Sanctae recepisse, ad Vigiliam paschalem autem tam media nocte quam vespere Sabbati celebratam numero parviore accessisse. In istis annis accessus populi in Coena Domini ac in Passione et Morte Domini supra spem augebatur, in Vigilia paschali e contra aliquanto minuebatur.

Quorum causae in laboribus Sabbati Sancti et in apparitionibus pro festo Paschae inveniri debent, praesertim quia dies praecedens in Passione et Morte Domini ex lege civili huius regionis dies festus celebratur. Unde apparet multas familias Sabbato Sancto nec vespere nec circa mediam noctem actionibus liturgicis interesse.

Quapropter his regionibus Vigilia paschalis melius *Dominica ipsa Paschali ante lucem seu prima luce* celebraretur, ita ut Missa solemnis circa auroram incipiat.

Quae hora extraordinaria variis argumentis commendatur, quorum praecipua sunt:

1. *argumentum historicum.* Dum in Germania meridiana aliquis modus popularis celebrandi resurrectionem D.N.J.Chr. Sabbato Sancto post solis occasum in usu fuerat, e contra in Germania septentrionali, et quidem in mea etiam dioecesi, in ipsa Dominica Resurrectionis iste modus ritum perpetrandi hora quinta vel sexta receptus fuerat. Hoc tempus pro Caeremoniis Vigiliae instauratae in futuro servare multis in casibus opportunius videtur.

2. *argumentum necessitatis.* Difficultates, quibus sacerdotes et fideles in regionibus « diasporae » dioecesis meae plerumque subjecti sunt, simulque penuria sacerdotum et ecclesiarum urgent me ad impetrandum hujusmodi indultum. Multis locis saluti animarum ita provideri debet, ut sacerdotes in templis acatholicorum vel aliis aulis ad certas horas conductis Missam celebrent, sacramenta administrent, verbum Dei praedicent. Omnes fere sacerdotes diebus dominicis et festivis bis vel ter locis saepe diversis sacrum litare coguntur, quod praesertim circa festum Paschae magnam contentionem animi corporisque laborem saepe nimis onerosum exigit. Permulti fideles inter acatholicos dispersi procul ab ecclesia vel loco, ubi Missa celebratur, habitant ideoque longa et molesta itinera facere debent.

3. *argumentum pastorale.* Iuxta instructionem Sacrae Congregationis Rituum de die XVI Novembris 1955 (AAS 1955 p. 842 ss.) Ordo hebdomadae sanctae instauratus intendit, « ut veneranda liturgia horum dierum horis... opportunis restituta, a fidelibus facilius, devotius ac fructuosius frequentari possit ». Persuasum mihi habeo hoc privilegio benigne concesso multis locis fideles maiore valde numero sacris caeremoniis in Vigilia paschali interfuturos esse.

Idcirco ex cura pastorali hisce oboedientissime peto, ut Sanctitas Vestra mihi benignissime concedere dignemini *Indultum permittendi celebrationem Vigiliae paschalis instauratae mane Dominicae Resurrectionis, nempe circa auroram,* pro experimento ad triennium.

Pro gratia gratis data gratias agam quam maximas.
Sanctitatis Vestrae oboedientissimus filius.

(Henricus Maria Janssen)
Episcopus Hildesiensis

SACRA CONGREGATIO RITUUM
HILDESHEIEN.

Prot. N. H. 2/959.

Instante Exc.mo ac Rev.mo Domino Henrico Maria Janssen, Episcopo Hildesheien. in Germania, Sacra Rituum Congregatio, vigore peculiarium facultatum sibi a Sanctissimo Domino nostro Ioanne Papa XXIII tributarum, attentis peculiaribus in supplici libello expositis adiunctis, benigne indulget ut, in dicta dioecesi Hildesheien., instaurata Vigilia Paschalis peragi valeat Dominica ipsa Resurrectionis ante lucem seu prima luce, ita ut Missa solemnis circa auroram incipiat: servatis de cetero servandis. Praesenti Indulto ad triennium valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Ianuarii 1959.

Similia indulta Sacra Congregatio Rituum concessit, inter alia, his dioecesibus:

SECOVIEN., Prot. N. S. 17/959, die 28 Ianuarii 1959: pro gratia ad triennium.

OSNABRUGEN., Prot. N. O. 31/959, die 25 Februarii 1959: pro gratia ad triennium.

COLONIEN., Prot. N. C. 59/959, die 21 Martii 1959: pro gratia ad triennium.

VRATISLAVIEN., Prot. N. V. 82/959, die 3 Decembris 1959: pro gratia ad quinquennium.